

www.e-rara.ch

Polydori Vergilii Urbinatis De rerum inventoribus libri octo

Vergilius, Polydorus

Basileae, 1536

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1497>

Polydori Vergilii Urbinatis de inventoribus rerum liber quartus

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

quemadmodum locis perappositis cōmodum demonstraui-
 strauimus. Atq; isto ipso labore quem religionis causa,
 non inuitus suscepi, deum optimum maximum nobis
 propitium reddidisse cōfido. Vale Nonis Decembris,
 Londini, M. D. XVII.

POLYDORIVER
 GILII VRBINATIS DE INVEN-
 TORIBVS RERVM LIBER
 QVARTVS.

De principio christianaē religionis. Cap. I



V AE ab orbe condito, ad no-
 stram usq; etatem, quisque ad u-
 sum humanaē uitae necessaria pri-
 mitus inuenerit, tribus superiori-
 bus libris explicuimus, dehinc ue-
 ro de institutis & eorum initijs

christianaē religionis agetur, quae sola est, quae possit
 hominē facere, ac seruare beatū. Hebraei itaq; ab He-
 ber, à quo Abrahamā originem duxit, autore Eusebio de
 eu. ang. prae par. lib. 7. dicti, qui post Mosen, teste La-
 Etantio, libro diuinarū institut. 4. à Iuda qui illorum
 fuit dux contra Canan. eum, Iudaei appellati sunt, ante
 multa secula, quàm esset Moses, absq; lege aliqua scri-
 pta, pie sancteque uixerunt, utpote qui naturali quadā

ratione, ac mentis acumine, magnitudineq; animi, ueritate ueramq; pietate consecuti essent. Quorū principes fuerūt Enos, qui primus, sicuti supra ostendimus, nomen domini dei inuocauit. Enoch, Noë, item post diluuiū, Abrahā, Isaac, Iacob, qui quod deum uidiisset, Israël est ab ipso deo appellatus, et ab eo Hebræi Israëlitæ nuncupati. Ab hoc 12. tribus Iudæorū profectæ sunt, singulæ à singulis eius filijs denominatæ. Præter hos Iob, qui etsi homo alienigena, pietate tamen et innocentia Hebræis cōparandus est. Sed Ioseph Israëlitis filius in primis uitæ castimonia excelluit. Iis igitur ob iustitiā commissa sunt, ut apostolus Paulus ait, eloquia dei. Verū nō diuturna fuit in gente integritas, nam posteaquā famem declinaturi primum Abraham, deinde Israëlēm secuti, in Aegyptū migrauerē, sensim ex pestilenti illius populi cōmercio patriæ pietatis obliti, adeo sese maleficæ superstitioni addicere, & dæmonibus seruire cœperunt, ut nihil ab ipsis Aegyptijs, nihil serè à reliquis gentibus, quæ olim ab eis, prout alibi apposite docuimus, ortū habuerant, religione differrent. Deus tamen misertus post annum CCV. ut Iosepho placet, quàm Israël cum filijs in Aegyptum uenerat, & quàm Abraham in eam terrā accesserat CCCCXXX. duce Mose, per quē illis deinde lex data est, eos eduxit, liberauitq; seruitute, qua ab Aegyptijs premebantur. Pro ijs diuinis beneficijs, honorem deo non habuerūt, sed depulsa iam seruitute, in luxuriam delapsi ad prophanos

phanos Aegyptiorū ritus animū adiunxerunt, atq; deinceps nunquā peccare cessarunt, ueluti cæteræ gentes factitabant. Quocirca summus deus ac parens omnium cum uideret malitiam & falsorū deorū cultus per orbem terræ inualuisse, ac iam nomen suum ex hominum memoria penè sublatū, appropinquante iam termino, quo religionē suam transferre uoluisset ad nouos cultores, secundum illud dauidicū oraculum: Populus quem non cognoui, seruiet mihi: misit in mundum unigenitū filiū suū nuncium & doctorē, ad erudiendos mortales præceptis iustitiæ suæ, quem propterea uoluit mortali carne indui, & in crucem tolli, & morte maclari, qui, ut uiua lex, nomen ac templum nouum conderet, pium cultum uerumq; per omnem terrā uerbo & exemplo doceret. Sed tamen quo certū esset à deo missum, oportuit illum non ita nasci, sicut nascitur homo ex utroq; mortali genitus, qui ut cælestis appareret, crearetur sine opera genitoris, & tunc cōciliator inter deum & homines, ad immortalitē duceret ipsos homines, & sicuti homo præcepta suis factis approbando, cæteres parendi necessitate constringeret. Idcirco uoluit morti & affectionibus cunctis esse obnoxius, ut ea tolerando ut bonus doctor doceret illa quoq; posse perferri à quocunq; mortali homine, qui nō ut humanus corpori seruiret, sed ut, quēadmodū Origen. ex apostoli sentētia, super genesin pulcherrime admonet, exercēs boni animi, cuiusmodi sunt uoluptatū fuga, doloris atq; mor

tis contēptus, cœlestis effectus, imaginē cœlestis dei acci-
 peret. Venit ergo ad nos similiter diuinus ac humanus
 doctor, id est, perfectus deus, perfectus homo, qui uer-
 bŭm dei, qui cum patre semper, & pater cum eo est u-
 nus deus. Ille tanquam sol, hic tanquam radius ex sole
 porrectus, ille quasi fons, hic riuus, quia æque una utri-
 que mens, unus spiritus, una substantia est, sicut solis lu-
 men in radio, & aqua fontis in riuo. Sed quomodo ad
 nos uenerit, & uerbŭ caro, ueluti euangelista Ioannes
 ait, factŭ sit, audiamus Lucam ita intonantē: Missus est
 angelus Gabriel à deo in ciuitatem Galilææ, cui nomē
 Nazareth, ad uirginem desponsatam uiro, cui nomen
 erat Ioseph, de domo Dauid, & nomē uirginis Maria.
 Et ingressus angelus ad eam dixit: Aue gratia plena,
 dominus tecŭ. Benedicta tu inter mulieres. Et parum
 infra: Ecce concipies in utero, & paries filium, & uo-
 cabis nomen eius Iesum. Is erit magnus, & filius altissi-
 mi uocabitur, & dabit illi dominus deus sedem Dauid
 patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternŭ, & c.
 Dixit, Dauid patris eius, quoniam tam Ioseph qui pu-
 tabatur eius pater, quàm Maria uirgo ex regia stirpe
 Dauid orti erant, sicuti ex genealogia utriusq; aperte
 liquet, quando Ioachim, qui ex Anna uxore hanc puel-
 lam genuerat, suŭ pariter genus ad Dauid referebat.
 Dum igitur pax in terra post hominum memoriam
 summa erat, dum Augustus Cæsar uniuerso orbi impe-
 rabat, dŭ edicto ipsius Cæsaris, Iudæi, ut in alijs quoq;
 genti-

gentibus fiebat, à Cyrino qui Syriae præerat, iubentur tributim dare nomina, dum deniq; Ioseph ex Galilæa profectus cum coniuge, ut in tribu Iuda, cum suis profiteretur, in Bethleem oppido Iudæe morabatur, quæ terrarum serè media est, contigit ut uirgo quæ diuini spiritus haustu cõceperat, filiũ pareret, sine ullo uteri accepto incommodo, quod partus diuinus esset, de quo iam multo antea ueteres cecinerant prophætæ. Esaias: Ecce uirgo concipiet, & pariet filiũ. Et rursus: Egredietur uirga de radice Iessæ. fuit Iessa David regis pater. Extiterunt & alibi argumenta quædam mysterij huius. Romæ regione transyberina, oleũ, ut Eusebius scribit, per idem tempus, terra erupit, perq; integrum diem, perpetuo manauit fluuius. Item Orosius tradit Augustum eodem die uetuisse edicto, se dominũ appellari, manifesto præfagio maioris dominatus, qui tunc in terris ortus esset. Fuit hic annus in quem ille sacratissimus incidit partus, alter & quadragesimus imperij Augusti principis, mundanæ uero originis XCIX supra centesimum ac quinquies millesimũ. Octauo deinde die, ad templum delatus patrio more circumcidi-
tur, non enim uenerat ut legẽ abrogaret, sed ut consum-
maret, uocaturq; Iesus, quod idem hebraice significat,
atq; seruator. Haud ita multo post, adoratur à Magis,
preciosisq; muneribus donatur. Magos Persæ sapiẽtes
uocant, & Chaldæi, quos Græci philosophos. Deinde
matris secuta est purificatio, ut magis lex seruaretur.

quàm quod lustratione aliqua opus esset, unde omnis
 labes abfuerat. Tulit uirgo secum puerum ad templū,
 quem Simeon uir iustus miro perfusus gaudio cupidissi-
 me complectitur, ac regem, & seruatorem suum pro-
 phetico spiritu profitetur. Vnde Christus ex mystico
 chrismate dictus, quod certo argumento potestatis &
 regni unctus est. Christus etiam dicitur unctus, quem
 Hebræi Mesiam uocant. Sic Iesus, id est, seruator, &
 Christus, hoc est, rex dictus est. Anna itidem prophe-
 tica mulier Iesum Christum uidit & agnouit. Herodes
 uero audito nomine noui regis, eum perdendū statuit.
 Quo cognito, Ioseph diuinitus antè monitus in Aegy-
 ptum cum puero & matre aufugit, ubi 7. fuit annos.
 Interim Herodes oraculi nescius, omnes pueros qui tū
 in Bethleem erant, occidit: qui ob id scelus, tabo & sa-
 cro igne correptus, cruciabiliter uitā finiuit. Tum Io-
 seph iterum per quietem monitus in patriam redijt, &
 cum audisset Archelaum regnare in Iudæa, loco He-
 rodis patris sui, in Galilæam diuertit, & Nazareth ci-
 uitatem incoluit, unde puer Nazaræus est appellatus.
 Secundum hæc, cum iam puer 12. esset annos natus,
 Hierosolymā cum parentibus de more, ad diem festum
 agendū proficiscitur, ibiq; in templo cœpit cū doctori-
 bus, cū percontando, tum respondendo, supra etatē di-
 sputare: mox parentes domū secutus, usq; ad 30. uitæ
 annū contentus mansit gratia dei & uirtute, quæ in co-
 maxima erat. Tum demū christianæ rei fundamentum
 iacturus

iacturus, et suū negociū, propter quod uenerat, gestu-
 rus, tinctus est à Ioanne propheta in Iordane flumine,
 ut ea aqua spiritali peccata non sua, quæ utiq; non ha-
 bebat, sed carnis quā gerebat, aboleret, & quemadmo-
 dum Iudei suscepta circuncisione, sic etiam gentes per
 baptisma, id est, purificatoris perfusionē seruarentur.
 Delegit apostolos 12. & discipulos LXX. quibus
 mox mandaret cōcionandi munus: seu is delectus pau-
 lō post quā prædicationē inchoauerat, ab eo habitus
 est, quod parui refert. Cœpit docere homines, unū esse
 deum, & illum solum coli oportere, utpote qui diligen-
 tibus se hæreditatem cœlestem donaret, quo sic eorum
 mentes à stultitia qua tenebantur, ad sapientiam, ab ini-
 quitate ad iustitiam reduceret: item debere omnium ma-
 xime mutuam charitatem habere, ac cætera præcepta
 dei sincera mente seruare: se uero non deum, sed nun-
 cium dei profitebatur, qui non suū, sed patris honorem
 quæreret: inde maxima simul miracula ædere cœpit,
 non præstigijs magicis, quæ nihil ueri ostentant, sed uē
 ac potestate cœlesti, quæ iam pridē prophetis nuncian-
 tibus canebantur: sic uiam ostendebat olympo. Quo
 fiebat, ut populus ex tota Syria ad eum ob eius iusti-
 tiam, uel ob huiusmodi miracula cōflueret, & præcep-
 ta eius audiret, ac à deo missum, deiq; filiū crederet.
 Docuit præterea modum orandi, atq; sacrificandi, ut
 nihil omitteret, quod ad ueram religionem fāceret, in
 qua demū cuncti mortales acquiescerent. Hæc sunt fā-

Et IESV Christi præceptoris nostri, quæ miraculis
 constant: hæc eius doctrina, quæ continetur decretis,
 quæ ipse euangelium, hoc est, bonũ nuncium appella-
 uit. Cæterum quo magis hæc à pluribus recipiebantur,
 hoc acriores inuidiæ stimuli exagitabant Iudæorũ pri-
 mores & sacerdotes uociferantes, legem dei ob hanc
 nouam superstitionem, sic enim euangeliũ uocitabant,
 uiolatum desertumq; iri, qui usq; eò ira obcæcati sunt,
 ut omnium prophetarũ oraculorum immemores, non
 prius machinari cessauerint, quàm ipsum Christum in
 crucem sustulerint, quo sic per eius mortem, ueteris in-
 strumenti mysterium aperiretur, intelligereturq;, ac
 nouum instrumentũ quod ab eo est conditũ, ueteris fie-
 ret consummatio, quia ille in utroq; testator est. Sed fru-
 stra opponũtur diuinæ uoluntati humana cõsilia, nam
 Christus post tertium diem, quàm passus fuerat, resur-
 rexit, obtulitq; glorificatũ corpus suis discipulis conspi-
 ciendum. Qui fuit annus principatus Tiberij Cæsaris
 decimus octauus. Illis per hæc confirmatis, iussisq; spi-
 ritum sanctum expectare, qui ad eorũ mentes instruen-
 das, esset e cœlo mox paulò uenturus, post quadragesi-
 mum diem quàm resurrexerat, ipsis uidentibus ad pa-
 trem ascendit, post annum trigesimũ tertium, ac men-
 ses tres, quàm ad humani generis reparationem in ter-
 ram descenderat. Verum prius quàm cœlum repete-
 ret, potestatem dedit apostolis, qua rem publicam chri-
 stianã conderent, dicens, uti testis est Matthæus euan-
 gelista:

gelista: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque mandauimus uobis. Et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Et secundum Marcum, illud ipsum repetens: Ite in mundum uniuersum, & prædicate euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui uero non crediderit, condemnabitur. Ioannes uero euangelista nihil diuersum memorat, inquiens: Venit Iesus, & stetit in medio & dicit eis, Pax uobis. Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus & latus suum. Gausi sunt ergo discipuli, uiso domino. Dixit ergo eis iterum, Pax uobis, sicut misit me pater, & ego mitto uos. Et cum dixisset, flauit in eos, & dicit eis: Accipite spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, &c. Et hanc Christus æquam omnibus apostolis autoritatē fecit, postquam spiritum dederat, ut qui ea deinceps uterentur, scirent oportere se retinere etiã spiritum. Deinde Christus in cœlum se contulit, qui post decimum diem, quàm ascenderat, spiritum sanctum ad apostolorum mentes diuinitus illustrandas misit, qui Hierosolymæ unã erant, & eum paracletum expectabãt, quo repente afflato cœperunt loqui alijs linguis, prout spiritus dabat, ut loquerentur. Atque ipsum christianæ religionis principium tale fuit, taleque fundamentum, quod seruator

noster iecit, & deniq; tale frumenti granum, quod ille solo condidit. Sed age iam dicamus, ut illud enatū sit, quasue paulatim protulerit opes.

De christianæ reipublicæ origine, eiusq; miro à primo incremento, ac apostolorum Petri & Pauli martyrio. Cap. II



Postoli spiritu superne accepto, ut ualido muniti præsidio, nihil formidantes, audēter incipiūt Christū Hierosolymæ prædicare, ubi ille paulò ante datus fuerat neci. Sed Petrus in primis Iudæos tanti paricidij in trepide coarguit, hortaturq; ut eos poeniteat, ac uerā religionem quamprimum complectantur. Ea cōcio ita mouit, ut tria millia sexus utriusq; eodē die baptizata sint. Confirmat Petrus statim animos istorū miraculo, qui in aditu templi, ad Speciosam portam, claudum ex utero matris suæ, Iesu Nazareni nomine in pedes erexit. Quo uiso, totus populus ad Petrum & Ioannē qui aderat cucurrit, & ille rursus concionatur. Post hæc, à principibus Iudæorum interrogatus, qua arte id miraculum ædidisset, aperit illud nomine Iesu Christi gestum, quem illi inique crucifixissent. Ad hæc indignati principes, iubent, ut ne id nomen amplius apud populum diuulgent: quibus Petrus & Ioānes respondent, se non posse quæ de Iesu uiderant, nō loqui: qui cum perseuerarēt in ea prædicatione, unā cum alijs apostolis in custodiam conijciuntur, sed statim noctu apertis diuinitus

nitus portis, in templum se conferūt, ibiq; docent. Tum
 iterum à principibus iussi ne concionarentur apud po-
 pulum, respondit Petrus sic: Obedire oportet deo ma-
 gis quàm hominibus. Quare principes indignati, cum
 non auderent in apostolos sæuire, ueriti si id tentarent,
 ne in plebe tumultus fieret, Stephanum unum ex se-
 ptem diaconis, lapidibus conficiunt, cuius cædes nihil
 minuit piorum alacritatem, cum audiissent illum dicen-
 tem, Ecce uideo caelos apertos, et filium hominis stan-
 tem à dextris dei. Interea cõueniebat multitudo uici-
 narum ciuitatum Hierosolymam, ad eos afferentes æ-
 grotos, & uexatos à spiritibus immūdis, qui sanaban-
 tur omnes. Per hæc crescebat coetus christianorū, qui-
 bus erat cor unum, & anima una, atque omnia com-
 munia. Apostoli autem cõmuniter uiuebant, & quod
 illis pie offerebatur (offerebantur autem ad illorū pe-
 des à credentibus precia agrorū) id extra naturæ u-
 sum, pauperibus erogabant. Philippus inter hæc, unus
 ex septem diaconis, Samaritanos ad religionē trahit,
 Simonem magum baptizat. Cucurrit illuc Petrus cum
 Ioāne, qui eam gentem corroboraret. Paulus nō mul-
 to pōst nominis christiani acerrimus hostis, in piorum
 coetum ope diuina ducitur. Sed ut illud dauidicum car-
 men euento probaretur: In omnem terram exiuit so-
 nus eorum, & in fines orbis terrarum uerba illorum:
 haud multo pōst eiusdem Philippi opera, euāgelicus
 sermo usq; etiam ad Aethiopes penetrauit. Philippus

porro postquã Samaritanos uera religione imbuerat,
 cum dei monitu Gazam pergeret, quemadmodum in
 apostolorũ actis extat, Eunuchũ Candaces reginæ Aethi-
 opũ præfectũ baptizauit, & Eunuchus deinde regi
 nam ipsam, cum tota familia, bonaq; populi parte, sic,
 ut christiana religio in gẽte semper uiguerit. Sanẽ me-
 moria nostra cum Clemens VII. Ro. p̄tiffex, & Ca-
 rolus V. imperator Bononiã negocij causa conuenis-
 sent, accidit ut Franciscus Aluarez legatus David uid-
 gò Pretogya dicti regis Abissinorũ Aethiopũ, qui me-
 diterraneã Africæ partẽ tenent, eò Ioannis Lusitaniæ
 regis oratore duce, accesserit, atq; in senatu sui regis no-
 mine, promissum fidei obedientiæq; Clementi fecerit,
 anno salutis, M. D. XXXIII. mense Februario. Ad
 rem reuertor. Petrus oraculo admonitus Ioppe, ubi
 Tabitham defunctã à morte suscitauit, Cæsareã profi-
 ciscitur, ibiq; Corneliũ centurionẽ cum tota eius fami-
 lia, primũ ex gentibus externis, sacri roris unda purifi-
 cat. At Paulo id in primis negociũ inter gentes deinde
 datũ est. Dum hæc alibi fiunt, Antiochiæ interim præ-
 dicatione discipulorũ, qui post cædẽ Stephani Hiero-
 solyma aufugerant, multus numerus credentiũ adiũxit
 se ad Christũ, ita ut illi primum eo loci cognominaren-
 tur Christiani. Felix Antiochena ciuitas, quæ prima om-
 niũ causa est christianũ proferre nomen, atq; nascen-
 tis euangelij celebrare gloriã. Nostræ hæc demũ reli-
 gionis origo est, quæ uitiorũ omniũ expultrix, deo nos
 concie

cōciliat, et uinculo cōnectit arctissimo, cuius autor non
 Saturnus, aut Iupiter, sed uerus deus, rerū omniū ori-
 go. Accepit sensum suum deinde incrementū respublica
 christiana, nā apostoli partiti inter se prouincias, Tho-
 mas Parthos sortitus, Matthæus Aethiopiam, citerio-
 rem Indiā Bartholomæus, Andreas Scythiā, Ioannes
 Asiam, Petro Galatia, Pontus, Bithymia, et Cappado-
 cia obtigerunt. Erat Petrus Galilæus ex Bethsaide ur-
 be, Ioānis filius, et Andreæ apostoli frater, qui septē in-
 de annos Antiochiæ episcopus Tiberio principe fuit.
 Quo tēpore Iacobus iunior hierosolymitanæ diocesi
 præerat, & is Christi frater dictus, quod ortus esset ex
 sorore uirginis, sanctus, qui, ut Egesippus ait, nullum
 nouit aut uini aut carnis usum, intonsus, unguenti &
 balnei expers, & cui ob assiduum orandi usum, genua
 in camelorū speciem occaluisse, quem demum Iudæi
 è pinnaulo templi præcipitatū, quod Christum præ-
 dicasset, fullonū fuste mactuerunt. Petrus uero pluri-
 bus in Asia ciuitatibus nouo religionis ritu institutis, &
 in ijs Antiochena, ad maiora inde rerum initia, Romā
 anno Claudij Cæsaris secundo, proficiscitur, docensq;
 euangelium sacri pontificatus fundamentū iacit, cuius
 plures mox annos custos fuit. Atq; ita respublica chris-
 tiana passim augebatur, cū Maria uirgo mater Christi
 in cœlum assumpta est. Qui fuit annus VII & XL
 humane salutis. Ducitur haud multo pōst Romā Pau-
 lus, qui à Iudæis ad supplicium petitus, Cæsarem ut Ro-

manus ciuis appellauerat. Is etiam rei christianæ propagandæ mire intentus, ut cunq; in custodia potuit, salubriter docere non prius destitit, quàm iussu Neronis, eodem die capite obruncatus, quo & Petrus pedibus in sublime clatis, cruci affixus est. Sic ambo iactis iam ualidis religionis fundamentis, sunt martyrij coronam adepti: quod uerum esse testatur Tertullianus lib. 4. aduersus Marcionem, scribens: Videamus quod lac à Paulo Corinthij hauserint, ad quam regulam Galatæ sint recorrecti, quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesij, quid etiã Romani de proximo sonent, quibus euangeliũ & Petrus & Paulus sanguine quoq; suo signatum reliquerūt. Et libro de præscriptionibus hæreticorũ, ait Clementem à Petro initiatum, quo nemo homo possit ambigere, eos apostolos apud Romanos, autores religionis fuisse.

Quando primum circuncisio instituta, & quàm graue uisum sit eius rei præscriptum. Cap. III



Nos, sicut Origenes super genesin scienter disserit, ut incorporeum esse deum, & omnipotentẽ, & inuisibilẽ profitemur, ita eum curare mortalia, & nihil absq; eius prouidentia geri, neq; in cœlo, neq; in terris, profitemur. Secundum hoc itaq; quod prouisorem omnium dicimus deum, consequens est, ut quid uelit, uel quid hominib. expediat, indicet. Sed quomodo id fiat

Plato

Plato in magna epist. perspicue docet, inquiens: Deus fabilis nullo modo est, sed ex multa inhesionē hārentiāq; ut ita dixerim, circa rem ipsam, & uitæ integritatem, repente quasi ab igne accensum lumen animo innascitur, quod seipsum alit. Ita innuit deum intellectu percipi, quod propheta multo antè protulit, dicēs: Signatum est super nos lumen uultus tui domine, dedisti letitiā in corde meo. Et rursus: Et in lumine tuo uidebimus lumen. Sic igitur deus dicitur esse locutus, cum nobis innotescunt oraculo ea, quæ eius sunt uoluntatis indicia. Ad hunc modum Abrahæ inquit: Ego sum, ecce testamentū meum tecū, & eris pater multitudinis gentium. Et hæc post addidit: Circuncidetur omne masculinum uestrum, & circuncidetur caro præputij uestri, ut sit in signū fœderis inter me & uos, infans octo dierum circuncidetur in uobis. Abraham credidit deo, uti solebat, quia illi attributū est ad iustitiā, & statim ipsa die nonagintanouem natus annos, se & Ismaëlem filium ex Agar ancilla susceptum tertiumdecimū agentem annū, & omnes uernas suos circuncidit, quo deinceps secundum præceptū domini, præputiū carnis sobolis ex se futuræ circuncideretur. Cuius rei diuus Cyprian. rationē reddens ita scribit: Cum iam fidei tempora appropinquaret, imperata est circūcisio, & pars illa corporis in qua est uoluptatū seminarium, & libidinis officina, iussa etiam in paruulis amputari, ut proprij primitias sanguinis ei qui totum sanguinem suum

oblaturus erat, offerrent. Fiebat autem circumcisio ad hunc modū. Præputiū, hoc est, pellis quæ glandem, id est, partem uirilis membri summā tegit, præputabatur machæra petrina. Atq; hoc fuit circumcisionis initium, quādoquidem non modò ante Abraham, sed nec prior Mose, de uita institutis inter gentes sanxit quisquam: testis est Iosephus, aduersus Appionem: & propterea diuus Iōānes Chrysofost. homilia 52. in Matth. æū, ait circumcisionem omnium aliorum mandatorum longe antiquissimam esse. Hinc igitur cōsentaneū est, ad alias nationes morem circumcidendi postea manasse, Phœnices enim & Arabes, sicut diuus tradit Cyprian. item Saraceni ut Iudæi, ueteri ritu circumcidebantur. Plin. Iudæorum, Aethiopum & Aegyptiorum id fuisse institutum autor est. Herod. simul & Colchorum ait, sed ex Aegypto translatum. Et quia per id dei præscriptio seruabatur, ideo circumcisio perinde, uti testis est diuus Gregorius, ualebat apud Hebræos, uel ad tollendum originale peccatum, atq; apud nos unda baptismi: hoc differebat, quod per mysterium circumcisionis, non conferebatur gratia benedicendi, sicuti fit in baptisate. Proderat igitur circumcisio prout ait apostolus, cum legem seruarent, cum erga carnis motus non importuni existerent, nec statutos legibus terminos superaret, nec aliarum foeminarum quam coniugum legitimarum notitiam haberent, & ea quoque ipsa posteritatis tantummodo causa, certis & legitimis temporibus faceret. Isti circumcisi præputio carnis suæ dicendi

dicendi erant. Hæc prima, & carnis circuncisio: altera erat spiritus, & perfectior habebatur, quæ nõ solum à uetitis toris, ueruetiã à concessis et licitis tēperabat, de qua Moses ita uaticinatus est: Ipse in nouissimis diebus circuncidet deus cor tuũ, ad dominũ deum tuum amandum. Et prima circuncisio, teste Lactan. huius secundæ figura fuit, significans nudandũ esse pectus, id est, aperto & simplici corde oportere nos uiuere, quoniã pars illa corporis quæ circunciditur, habet quandã similitudinẽ cordis, & est pudenda. Vtranq; apostolus innuit, dicens: Nõ enim qui in manifesto Iudæus est, neq; quæ in manifesto in carne circuncisio, sed qui in occulto Iudæus, & circuncisio cordis in spiritu, non litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex deo. Quod & Origenes explicat inquiring: Qui uero purã fidem in conscientie sinceritate custodit, iste circuncisus est corde. Et diuus Hieronymus super illud Hieremiæ: Omnis autẽ domus Israël incircuncisus sunt corde, ait. Omnis domus Israël incircuncisa est corde, non carne, quæ incircuncisio dicit ad mortem, illa enim carnis, hæc spiritus est. Hanc ut docet Cyprian. Christus à carne mortali ad animã transtulit, quæ sola mansura est. Ceterũ uisum est præceptũ minime æquum, cum ita præscriptũ esset: Masculus cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Siquidem id accidere non poterat culpa pueri, sed parentis, quare admodũ graue uidebatur, us

negligētia patris deberet fraudi esse filio. Quapropter putant illam pœnam indictam esse patri, cum subijceretur, Delebitur anima illa. At contra plures ad filium referendum ducunt, quo uiolatio præscripti maiori sit timori, quando innocens ob alterius culpam plectitur. Verum diuus Ambrosius neutram opinionem satis probat, qui masculi nomine, mentem significari autumat, quod ut sexu potior ille est, ita eius mentis uigor sit ualidior. Ergo, ait, hæc ratio est, quod omnis mens quæ nõ fuerit circuncisa à superfluis corporalibus, & purgata solenni munere, ut exuat se passionibus & uitijs, interibit. Non caro, inquit, interibit, nõ homo, sed anima illa peribit, quia potuit salua fieri, si habuisset purgationem.

De primo baptismatis usu, & baptizandorum infantium instituto. Cap IIII



Hristus qui æque mortalium omnium negociũ gerebat, uolens uitæ ac saluti nostre pro æterna sua pietate consulere, docuit, ut si cor nudaremus, si peccata confesi satis deo faceremus, ueniam consequeremur: et ne aberraremus, nobis statim natis gratiam suam per baptisma impertiuit, ut ea aduersus dæmonũ insidias muniti, recto itinere ad cœlestem patriam tenderemus. Quapropter prophetam ante se misit, qui nos instrueret, ad eam gratiã promerendã. Is fuit Ioannes Zacharie

riae filius, quo maior surrexit nemo, ut ueritas testata est, ad quem auno 15. imperij Tiberij Caesaris, sicut Lucas perhibet, factum est uerbum domini, & uenit in omnem regionem finitimam Iordani, praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Esaiæ prophetae dicentis: Vox clamantis in deserto, parate uiam domini, reatas facite semitas eius. Tunc, ut Matthaeus testatur, egressa est ad illum Hierosolyma, & tota Iudaea, totaque regio undique finitima Iordani, & baptizabatur in Iordane ab illo, confitentes peccata sua. Hoc fuit initium baptismi, uel potius gradum faciendi omnibus, qui sese factorum poenitentes mox digni essent, qui ad baptismum Christi percipiendum accederent. Quod Cyprianus comprobatur, ita differens: Praeparabat uiam domino Ioannes, lauando exterius corpora, ut praecederet exterius lauacrum secuturum baptismum, in quo conferretur animarum ablutio, & peccatorum remissio. Praecessit quod erat ex parte, ut consummatio sequeretur. Et Chrysostomus paria testatur, scribens: Apte ergo cum dixisset, quod uenit praedicans baptismum poenitentiae, adiecit, in remissione peccatorum. Idcirco suadebat, ut illos poeniteret, quo subsequente ueniam facilius impetrarent, credentes in Christum. Vnde baptismum illud nullam aliam habuit causam, nisi ut instrueret ad fidem. Haec ille. Sed ipse Ioannes illud ipsum planum facit, cum inquit: Ego quidem baptizo uos in aqua ad poenitentiam

tiam, qui autem post me uenturus est (de Christo loquitur) fortior me est, cuius non sum dignus, ut calceamenta portē, ipse uos baptizabit in spiritu sancto, & igne, & rel. Ego uero dixerim, Mosē primitus baptizandi rationē ostēdisse, quippe qui baptizauit, sed in aqua solum, id est, in nube & mari. Quod, teste Greg. Nazianzeno, & baptismi Ioannis & Christi exemplar fuisse constat, quando ista omnia à deo proficiscebantur. Quod autem baptizati à Ioanne rursus admouerentur lauacro, hoc est baptizarentur, illud perspicue constat testimonio Lucæ in apost. actis, in hunc modū scribentis: Factū est autem cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus, ueniret Ephesum, et inueniret quosdā discipulos, dixitq; ad eos: Num spiritū sanctum accepistis, cum crederetis? At illi dixerunt ad eum: Imò neq; sit ne spiritus sanctus, audiuius. Et ait illis: Quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: Ioannis baptismate. Dixit autem Paulus: Ioannes quidem baptizauit baptismate poenitentiæ, populo dicens, in eum qui uenturus esset post se, ut crederent, hoc est, in Iesum Christum. His auditis baptizati sunt in nomine domini Iesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, uenit spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. &c. Hac igitur de causa, Christus uenit ad Ioannem, uoluitq; ab eo baptizari, ut suo baptismate illius baptismum approbaret, corroboraret, ac doceret neminē esse quamuis iustū & sanctum,

quin ea foret salutari aqua purificandus, cum ipse nullius purgationis egens sic lustrari uoluisset. Cuius nempe rei Ioannes optime gnarus, etsi in materno sanctificatus erat utero, prohibebat illum à se inquiring: Ego à te debeo baptizari, & tu uenis ad me? Christus autem respondens, dixit ei: Sine modo. Quasi diceret, postea te spiritu baptizabo, quod secundum Chrysostomum & fecit. Quin & alios baptizasse satis constat, teste euangel. Ioanne, cap. 3. ubi ait: Post hæc uenit Iesus et discipuli eius in terram Iudæã, & illic morabatur cum eis, & baptizabat. Atque hoc demum baptismatis initium fuit, hæc q̄q; est unda salutis, qua perfusi innocentes efficimur, sine cuius roris lustratione, nulli fas in regnum intrare cœlorum. Primus autem ex gētibus externis, Cornelius centurio cum sua familia, Cæsareæ à Petro, ueluti proximo capite est dictū, baptizatus fuit, qui propterea quod primus ex gentibus credidit, primusque gratiam baptismi suscipere meruit, iure primitiæ gentium dici potest, uel Origenis testimonio, qui super Numeros de eo sic loquitur: Ex quibus esse arbitrator etiã Corneliū illū, qui Cæsariësis ecclesiæ cum ijs cum quibus spiritū sanctū meruit accipere, primitiæ merito dicitur, & non solum huius ecclesiæ, sed fortassis & omnium gentiū primitiæ Cornelius appellandus est, primus eni credidit ex gentibus, & primus sancto spiritu repletus est, & ideo recte primitiæ gētium appellabitur. Hactenus Orig. Vt autem infantes apud

Iudeos octauo ab ortu die circūcidebātur, sic apud nos plurimum baptizantur, quod tamen Angli in ipso natali die faciunt, id quod diuus Cyprianus libro epist. 3. scribens ad Fidum, multis rationibus esse faciendū probat, & in primis, quod homo id ætatis longe innocentissimus sit. Porrò non ab re 7. diem præterisse expectabāt Iudæi, quod is, Plutar. in problem. & Festo testificantibus, maxime periculosus sit infantibus, si uexentur, nec ante eum terminum, umbilicus resoluator, ante quem homo propior est plantæ quàm animali. Hūc quoq; diem Romani Hebræos imitati obseruabant, uocabantq; lustricum, quo infantes lustrabantur, hoc est experiabantur, & ijs nomina imponebant, maribus quidem nono die, unde Nundina dea apud eos colebatur, fœminis octauo, quia in maris cōceptione, plus esset tēporis. Baptismo insuper uel confirmationi, de cuius initio pōst dicitur, ne hæc sacra forent iterāda, quod per patrum decreta fieri nō licebat, Iginus Romanus pontifex statuit, ut unus quem compatrem uocāt, uti testis interesset. Hodie plurimū si mas baptizetur, duo uiri cum una muliere, que uulgò cōmater dicitur, adhibentur, ueluti rei gestæ testes: contrā si fœmina, duæ mulieres, cum uno uiro. At in confirmatione unus duntaxat uir seu mulier testis admittitur, qui puerū uel puellam brachijs sustentet. Præterea cum seruator, teste Marco dixisset: Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit, iam tum unūquēq; oportebat & credere & baptizari,

ptizari, si cupisset se saluū esse. Sed ut illud per se quisq̄
 poterat præstare, ita hoc sine aliena ope fieri non pote-
 rat. Quapropter Victor pontificum Rom. ordine 15.
 decreuit, ut à quocūq; uirilis uel fœminei sexus christi-
 ano, & in quauis natiua aqua baptismum petentes ba-
 ptiz arētur, si necessitas instaret: instabat autem neces-
 sitas, causa præsertim infantium, quibus cum per ætatē
 nō liceret de sua fide testari, à principio, sicut tradit Cy-
 prianus, prouisum fuit, ut per alios credere profiteren-
 tur, quo quæadmodū aliena culpa, id est, Adam primi
 parētis delictū eis quoq; malo fuit, quod statim nati ori-
 ginali peccato obligarētur, sic aliena opera bono esset,
 qui idcirco, uelut ait Ambrosius libro de uocatione gen-
 tiū secūdo, ex aliena cōfessione credūt, & baptizātur.
 Atq; hoc pacto cūctorum saluti consultum est. Ita per-
 seuerabat in hunc modum celebre baptismatis institu-
 tum, cuius triplex est genus, fluminis, quo Ioānes pri-
 mitus baptizauit: item flaminis, hoc est spiritus sancti,
 quod Christus instituit: & sanguinis, quo infantes ab
 Herode occisi sunt initiati. Cyprianus: Hi nuper cruo-
 re lacteo loti primitias baptismi martyrio cōsecrarūt,
 tradētes posteris formā, ubi necessitatis articulus exclu-
 serit moram, non minus ad lauacrū animæ sanguinem
 efficacē, quàm sanctificatas uerbis aquas, maxime cū
 nec sanguis hoc elemento careat, sed aquarum motu
 per totum corporis aluē fluat. Spiritus uero sanctus
 & aquis & sanguini superfertur, qui subiectos sibi fo-

uet & abluit, quo baptizante idem occisio quod mersio operatur. Hæc Cyprianus. Illud hic admonuerim in usu ueterum fuisse, ut adulti serè baptizarentur, in aduti uestibus albis. Lactantius:

Candidus egreditur nitidis exercitus undis,

Atq; uetus uitium purgat in amne nouo.

Et id fiebat in pascha, & pentecoste, nisi necessitas urgeret. Interim autem dum dies statutos expectabant, mysterijs religionis erudiebantur, ac ob id catechumini dicebantur, quod *κατηχῆς* græce, sit uoce erudire: qui ita mysterijs initiati, & postea aqua tincti lac & mel degustabant, teste Tertulliano, in lib. de militis corona, ubi ait: Aquam adituri. & subiicit: Dehinc ter mergitamur, inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus.

De sacerdotij eiusq; graduum apud Hebræos initijs, ac magno pontificis minorisq; sacerdotis consecrationis mysterio, & quibus uterque amicirentur induæmentis sacris.

Cap. V.



Reipublicam christianam duplex genus hominum habet, unum quod profanorum nomine censetur, & ijs soboli procreandæ ac imperio administrando fas est incumbere: alterum sacerdotum, quod sacrificijs faciendis, precibus & religioni deniq; rite procurandæ uacat. Apud Hebræos idem fuit institutū, siquidē principio duces cum populo, deinde reges reipublicæ curā habebant.

habebant: sacerdotes uero sacra curabāt, penes quos, teste Iosepho lib. 3. antiq. sacerdotiū cœpit ab Aaron qui primus unctus, atq; consecratus fuit per Mosē fratrem, dicente illi domino: Sume Aaron & filios eius, et stolas & oleum unctionis, & uitulum, qui est pro peccato, &c. Quare Mosēs cōuocato populo dixit: Hoc est uerbū quod mandauit dominus facere, & applicuit Mosēs Aaron fratrem suum, & filios eius, & lauit eos aqua, & uestiuit eum tunica altera summa, altera interiori, & præcinxit zona, & imposuit ei humerale, & cinxit eum secundum formam humeralis, & imposuit super eum logium, & imposuit super manifestationem & ueritatem, & imposuit mitram super caput eius, & posuit super mitram, ante faciem eius, laminā auream sanctificatam, sanctam, sicut præceperat dominus. Hæc fuit sacerdotis primi consecratio, & ea nō sine mysterio: Mosēs enim, id est, lex, ut Origeni placet, quam pontifex ignorare non debet, lauit & unxit Aaron summum pontificem, cum filijs, hoc est, puros reddidit coram populo, quia oportet illum & testimoniū habere bonum ab ijs, qui foris sunt, sicut apostolus docet: postea uestiuit eum duplici tunica, altera ministerij humani, altera intelligentiæ spiritualis: & præcinxit eū zona, antequam talarem tunicā imponeret, hanc stolam nuncupant. Induit eum humerali, quod est humerorum quidam ex circūductione uestis ornatus: humeri autem operū figuram tenēt, ac laboris indicia. Et cinxit

xit eum rursus secundum formam humeralis, ut constrictus esset in uerbo, constrictus in facto. Post hæc impo-
 suit logium, quod rationale dicitur, & est sapientiæ in-
 dicium, quia sapientia in ratione consistit. Super mani-
 festationem, & ueritatem, dabantur & femoralia tan-
 quam indicium castitatis, sed quia licebat sacerdotibus
 filios generare, ideo Origen. uult per femoralia innui,
 non esse prædicandum uerbum dei hypocritis, ne illud
 semen pereat, quasi tunc esse utendum femoralibus, ne
 in sterilem terram semina iaciantur. Hæc erant pontifi-
 cis ornamenta, quorum ordo haud mysterio etiam ca-
 ret, nam humeralis facta præcedunt, logij sapiëntia seq-
 tur, quia post facta quæreda sapiëntia, deinde post rati-
 onale, manifestatio, quoniã nõ antè alios docere, quàm
 nos instruere debemus: item additur ueritas, quia ueri-
 tas est summa sapientia. Postremo Moses ornauit ca-
 put Aaron corona, in quo esse debet iustitiæ dei sedes,
 propterea accepit cidarim, quod est operimentum uel
 ornamentum quoddam capitis, cui superimposuit mi-
 tram, hoc est indicium scientiæ utriusq; instrumenti.
 Ante faciem, id est, à fronte pontificis, laminam aureã
 sanctificatam locauit, in qua sculptũ erat uocabulum
 dei. Hinc nostri pontifices indumenta bona ex parte,
 sicut proxime dicemus, mutuati sunt. Ita Aaron pon-
 tifex summus est à deo creatus: filij uero eius, Nadab,
 Abiud, Eleazar, & Ithamar longe minoribus cari-
 monijs initiati sunt, quippe quibus neq; bina indumēta

tradita, neq; humerale, neq; rationale, neq; capitis ornatus, nisi tantum cidaris, qui propterea loco minorū sacerdotū sunt habiti, quales hodie apud nos sunt, qui presbyteri uocantur. Cæterū libet distincte ex Iosepho & Hieronymo, ad Fabiolam, de his referre indumentis. Octo enim genera fuere, quorū quatuor communia pontificibus pariter atq; sacerdotibus erant: feminalia, quæ linea erant, & usq; ad genua & poplites uehlabant uerenda, nos ea uocamus bracas: poderis ex lino etiam tunica talaris, quam interulam dicūt: cingulum textum sub tegmine trium colorum, cocci, purpuræ, & hyacinthini byssino stamine: & tiara ex byssino confecta rotunda, ut pileus, quasi sphaera media sit diuisa, ut pars ponatur in capite affabre laborata, fuit olim Persarum mulierum capitis ornamentum. Pontificum uero reliqua quatuor propria indumenta erant: tunica talaris tota hyacinthina, & manicata, in cuius extrema parte circa pedes, septuagintaduo pendebrāt tintinabula, cum totidē malis punicis, quo pontifex in sancta sanctorū uocalis incederet, moriturus statim, se hoc nō fecisset. Superhumerale, quod hebraice ephod dicitur, ex bysso, cocco, purpura, hyacinthino, in cuius utroq; humero erant duo lapides onyches, seu smaragdī, Iosephus sardones uocat. In singulis autē inscripta erāt sena nomina patriarcharū, hoc est, in dextro humero filij maiores natu Iacob, in sinistro minores, ut pōtifex ingrediēs sancta sanctorū, nomina populi pro

quo erat dominum oraturus, portaret secum. Item rationale, quod erat pannus brevis, auro & quatuor, haud alio modo ac superhumeralis, contextus coloribus, cum duodecim lapidibus, quaterno distinctis ordine, in primo enim ordine inserti erant sarda, topazius, smaragdus: in altero carbunculus, saphirus, iaspis: in tertio lyncurion, achates, anethystus: in quarto chrysolithus, onyx, beryllus. Vltimum uestimentum, lamina aurea, cum uitta, qua pontifices tantum utebantur. Isti duodecim lapides uidentur significasse, ut ait Hieronymus, apostolos duodecim: sicut illi duo superhumeralis portedisse Christum & eius populum, & quatuor coactores retulisse quatuor elementa. Atqui byssinum, quod est genus lini subtilissimi, terrae comparari potest, quia ex terra gignitur: sicut purpura mari, quod ex eius cochleolis tingitur: item hyacinthus aëri, propter coloris similitudinem: coccus igni & ætheri. Sed ad reliqua persequenda iam recurrat oratio. Fuit tamen ante Aaron, Noë, qui dicitur altare erexisse, & super illud holocaustum domino obtulisse: item Melchisedech, qui primus sacrificauit, & Abraham, Isaac & Iacob, qui secundum eum itidem fecerunt: sed illos quadam naturali pietate, non sacerdotali autoritate rem diuinam fecisse constat. Alij deinde ministri ab alijs constituti sunt, qui in tabernaculo, hoc est, templo in ministrando hererent. Leuitae ex tribu Leui filij Iacob, statim post datum sacerdotium Aaron, & eius filijs, iubente domino,

domino, à Mose eliguntur, qui semper adessent Aaron sacrificiũ facienti, excubarẽt dies ac noctes in tabernaculo; gestarẽt arcam, & tabernaculũ, item uasa, ac in circuitu tabernaculi locum castris statuerẽt. Hos græca uoce diaconos appellamus, siquidem Moses præcipiẽte domino, uti Iosephus eodem libro refert, tribum Leui à prophanis officijs segregãs deo cõsecrauit, eiq; negociũ custodiendi tabernaculi mandauit. Diaconis adiuuẽto dati sunt ministri, qui illorum dictis audiẽtes essent, & oblationes caperent. Ii apud Hebræos Nazthinnei appellantur, hoc est, dati aut donati, uel in humilitate domino seruientes, nunc subdiaconi quod diaconis subsint, nuncupantur. Item nonnullos alios delegit, qui lucernas perenniter in tabernaculo ardẽtes curarent. Hos nostri ceroferarios interpretãtur, uel græce acolytos, seu potius acoluthos, qui res corporis ministrant. Postea constituti sunt ostiarij, qui aditui siue ianitores uocantur, ut ex præscripto legis, præsentent templo custodiendo, ne immundus quisquam intraderetur. Item lectores, quorum ordo à prophetis inĩtũ sumpsit, qui concionarentur, & legerent, quibus dictum erat, Clama, ne cesses. Præcõtorum qui psalmos canerent, autor Dauid, siue Asaph, fuisse dicitur, qui post Mosen primi psalmos cõposuerũt. Erat eorũ ordo per successionẽ genericũ, sicuti sacerdotiũ, qui assidue in tẽplo canebant, ad uocẽ unius respõdente choro. Exorcizatores, id est, adiuratores, sic enim nostri

inter=

interpretantur, aut increpantes Solomon instituit, qui inuocarent super catechumenos, uel super eos, qui spiritibus immundis uexabantur, nomen domini, ita demones subigentes, ut ab eis egrederentur, sicuti ex Iosepho alibi demonstrauius, ipsum Solomonem effugandorum demonum inuenisse modum. Hæc suo ordine, quo apud Hebræos instituta sunt retulimus, ut initiū cuiusq; rei, quod nostri in primis propositi est, per apposite proderetur. Quæ omnia cū umbra dūt axat futurorum fuerint, iam quæ inde secuta sint, explicemus.

A quo noster primitus institutus fuerit sacerdotalis ordo, & duplex esse sacerdotium, & quid sit sacerdotis manuū impositio, ac quis episcopus pontifex uel, atq; quale eius munus, & quondam presbyterum uel diaconum dictum episcopum. Cap. VI.



Iesus Christus præceptor noster postremo, autore Eusebio in ecclesiastica hist. & rex & pontifex fuit, & utrunq; ex testimonio prophetarum probat: cum enim de Iesu meminit, qui Mosi successerat, inquit: Sed & idem Moses longe per dei spiritum præuidens qui sibi præpararetur successor, & prænoscens eum, qui post se regnum susciperet, maioris sacramenti ministrum esse futurum, Iesum cognominauit eum, qui prius Ause parentum fuerat appellatione uocitatus, sciens in huius uocabuli sacramento, maioris cuiusdam gloriæ regem

regem quàm mortalis natura recipit, esse ponendum. Ita igitur per gemina hæc appellationis indicia, in altero pontificatus, in altero regalis formæ exprimuntur insignia. Et Iesus Christus tanquàm qui rex & pōtiffex esset, pariter nominatur. Et paulò post infert: David quoq; de Christo testatur, dicens: Sedes tua deus in seculum seculi, uirga æquitatis, uirga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te deus, deus tuus oleo lætitiæ. In quibus uerbis primū quidem eum deum designat, deinde per æquitatis uirgam, sceptrum in eo regale commemorat. Hæc Eusebius. Hic illud apposite admonendum duxi, non recte in Eusebiano codice scribi Aufe, teste diuo Hieronymo, qui statim in principio libri primi commentariorum in Osee prophetā, inquit: Osee enim lingua nostra seruatorem sonat, quod nomē habuit etiam Iosue filius Nun, antequam ei à deo uocabulum mutaretur, non enim, ut male in græcis codicibus legitur, & latinis, Aufe dictus est, quo nihil omnino intelligitur, sed Osee, id est, seruator, & additum eius nomini dominus, ut seruator domini diceretur. Hæc Hieronymus. Sed domū redeamus. Is igitur pōtiffex noster primus fuit, qui nobis sacerdotiū instituit, idq; duplex esse uoluit, alterum spiritale, alterum ministerij plenū. Sed de hoc postea. Spiritale dedit, cum se pro nobis obtulit, dicente apostolo Petro: Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret.

ret deo, mortificatus quidem carne, uiuificatus autem spiritu. Et sacerdotium istud omnibus iuxta christianis commune est, e. a de causa institutum, ut Christum imitemur, teste apostolo ad Romanos scribente: Obsecro uos per misericordiam dei, ut exhibeatis corpora uestra hostiam uiuentem, placentē deo, rationabile obsequium uestrum. Idem noster seruator alterum sacerdotium ministrij insituit, cum dogmata legis secutus, quam non soluendi, sed consummandi causa uenerat, ut postquā coelum ascendisset, nobis non deessent, qui in terris sacerdotium uerum gererent, 12. elegit pontifices, quos nouo uocabulo apostolos nominauit, ut qui mittendi essent in diuersas orbis partes, qui nouum dogma, hoc est, euāgelium, cui etiam uocabulum inuenerat, mortales docerent. Item septuaginta discipulos, quos etiam ad concionandi munus delegarat, sacerdotes fecit, qui uice filiorum Aaron, sicut Origeni probatur, apud nos, minores haberentur sacerdotes, quales nunc græce presbyteri uocantur, hoc est latine seniores, quod canities quæ homini prudentiam asserre solet, digna sit honore et munere. Ab his igitur presbyterorum, sicut ab illis episcoporum cœpit ordo, quippe qui in eorum locum successere, quod uel Cypriani testimonio constat dicentis: Meminisse autem diaconi debent, quoniam apostolos, id est, episcopos et prepositos dominus elegit. Et post eum, idem Hieron. testatur in epist. ad Marcellam aduersus Montanum ita scri-

scribens: Apud nos apostolorum locum episcopi tenēt. Hos autem apostolos ac discipulos mysteriorum dei ministros non alijs constat initiatos sacris, quàm sola Christi electione, seu uocatione, quod ipsis deinde a postolis, & postremo Romanis pontificibus, sicut infra explicabitur, exemplo fuit eligendorum sacerdotum: sed ut hæc multis cærimonijs alióque longe ritu, ita illi simpliciter, prout à Christo docti erant, illud institutum seruarunt. Ad hunc quoque modum, Titus in Creta ad præscriptum Pauli presbyteros oppidatim constituit. Sed Bedas rem multo luculentissime docet, inquit: Erant baptizati apostoli, at non erant sacerdotes, nisi cum Christus in cœna fecit illos sacerdotes, dans eis potestatem consecrandi corpus ipsius uerum, & post resurrectionem, absoluendi. Cæterum cum apostolus epistola priore ad Timoth. cap. 5. sic præceperit, Manus citò nemini imponas: quis posset conijcere eum cuiuspiam mysterij sacerdotes initiandi formulam dedisse, id quod Chrysof. homilia in eam epistolâ 16. affirmare uidetur, ita scribēs: Vbi uero hæc dixit, illud intulit, quod omnium maxime periculosum est, & in primis ecclesiã continet, de ordinationibus scilicet. Quid sibi uult? nõ ex prima statim probatione, sed ubi consideratio diuturna præcessit, tunc imposito manus. Et Ambrosius hunc quoque locum ita interpretatur: Gratiã dari ordinatoris significat, per prophetiã, & manuum impositionem. Prophetia est,

qua eligitur quasi doctor futurus idoneus. Manuū uero impositiones uerba sunt mystica, quibus confirmatur ad opus electus accipiēs auctoritatem, teste cōscientia sua, ut audeat uice domini sacrificium deo offerre. Sed ipse Paulus epistola 2. ad eundem Timoth. quid esset manuum impositio, aperte declarare uisus est, cum scripserit: Quam ob causam commonefacio te, ut suscites donum dei, quod in te est, per impositionē manuum mearum, non enim dedit nobis deus spiritum timiditatis, sed potentiæ, ac dilectionis, & sobrietatis. Quæ omnia Chrysost. ita explanat: Admoneo te, ut excites gratiam dei, quæ est in te, per impositionē manuum mearum. hoc est, gratiam spiritus, quam accepisti ad ecclesiæ institutionem, ad ædenda miracula, ad omne religionis obsequiū: quippe hanc uel extinguere, uel excitare, in nobis est. Hactenus ille. Ac ita per impositionem manuum, uidetur dari sacerdoti electo spiritus sanctus, quæadmodum teste Luca in actis, cum de Samaritanis loquitur, recēs quoq; baptizati afflatur eodem spiritu, quo Christus suos apostolos in primis ornauit, illustrauit, muniuit dicens: Accipite spiritum sanctum, quorū remisistis, & reliqua. Fuit enim ille sollemnis ipsius seruatoris modus benedicendi manu pariter atq; uoce, teste Hierony. in Matthæum, cum apud eum oblatis fuerint pueri, ut manus imponeret, & oraret, hoc est, benediceret. At reuertamus eodem. Atq; hinc olim factum uidetur, ut in consecrando episcopo

scopo, nil amplius carimoniarum esset, nisi ut multitudo quæ eius quoq; rei gratia, autore Cypriano non uno in loco, & præsertim in epistola 4. ad Felicem presbyterum, semper episcoporum electioni intererat, precaretur, & presbyteri manus imponerent. Et hæc dicere habui, de prima sacerdotum consecratione ab apostolis & patribus usurpata. Ad rem redeo. At post Christum, Petrus in sacerdotio prærogatiuâ habuisse dicitur, quod primus apostolorum ordine, & eius sacrosancti collegij caput fuisset. Quapropter diuus Cyprianus epist. 3. ad Cornelium, cathedram Petri principalem uocat: nam, ne quis erret, nulla alia ratione sacerdotalis ordo à Romano episcopo profectus esse dici potest, nisi apud Italos duntaxat id factum intelligatur, cum per diu ante aduētum Petri in urbem Romanam, apud Hierosolymos sacerdotium rite institutum fuisse liquidò liqueat, quãquam Chrysostomus homilia ultima in Ioannem, arbitratur Iacobum primum Hierosolymitanum episcopum à Petro factum fuisse, id quod tamen alij non Petro solum, sed Ioanni quoq; ac alteri Iacobo assignât. Imò nemo eorum illud fecit officium, si ipsi diuo Petro credimus, qui apud diuum Clementem, libro recognitionum primo, de ea ipsa re ita testatur: Septimana iam una ex passione domini, complebatur annorū, & ecclesia in Hierusalem constituta, copiosissime multiplicata crescebat per Iacobum, qui à domino ordinatus est episcopus, rectissimis

dispensationibus gubernata, & c. Igitur ita Petrus apostolorum princeps fuit, ita Romani pontifices iam inde ab initio magnæ habiti sunt autoritatis. Itē apud eosdem Hierosolymos, episcopalis cathedra locata primitus est, & utrunq; attestatur Eusebius lib. ecclesiasticae hist. 7. ita scribens: Deniq; Iacobi cathedra usq; ad hodiernū diem inibi (de Hierosolyma loquitur) seruatur, atque in ea sedent omnes, qui usque ad praesens tēpus sedis illius sacerdotium sortiuntur, & cum magna ueneratione habetur, uel uetustatis uel primi sacerdotij sanctificationis obtentu. Hæc Eusebius. Illud idem postea à diuo Petro Romæ factum esse testimonio est cathedralis celebritas eius diei, qui nunc ubique gentiū solennis est. Veruntamē existunt etiam nunc, qui contendāt Petrum in omnes apostolos ius habuisse. De quare nostrū non est quicquā decernere, qui sacerdotij originem tantū querimus, tametsi cōtra nonnulli aliter censent, quia id uidetur Paulus ad Corinthios, epistola 2. cap. 10. negare, scribens: Nam si & amplius quippiā gloriatus fuero, de potestate nostra, quam dedit nobis dominus, non erubescam. Non enim dicit, Quam dedit Petrus, sed dominus. Et subiicit: Quam nobis potestatem dedit dominus in ædificationē, & non in destructionē uestri. Ponit Paulus ædificare, ut alibi sæpe facit, pro prodesse, quo doceat officium sacerdotis esse, æque omnes iuuare, si uelit potestate sibi data uti. Episcopus uero græca uox est, & plus oneris quam

quàm honoris significat: latine dici potest speculator:
 & proprie, ut Martianus scribit, ij dicuntur episcopi,
 qui præ sunt pani, ac cæteris uenalibus rebus, quæ po-
 pulis ciuitatũ ob quotidianum uictum necessariæ sunt.
 Vnde p̄t̄ificibus id nomen inditũ par est credere, quia
 quẽadmodum illi quæ ad uitã humanam sustentandã
 pertinet, procurare debent, ita his uigilando, docẽdo,
 bene agẽdo, animarũ saluti cõsulere officiũ incumbit,
 id quod uel Clementis primi p̄t̄ificis declarat præscri-
 ptum, qui decreuisse fertur, ut episcopalis cathedra in
 eminentiore templi loco collocaretur, sicut hodie ser-
 uatur, unde episcopus undiq; speculari posset. Hinc cer-
 te apparet, ut nihil potissimũ esse debeat curæ episco-
 po, quàm incolumitas gregis sibi crediti, quo fit, ut in
 ciuitate hoc sit episcopus, quod in naue gubernator, in
 curru rector, in exercitu dux, utpote cuius, sicut ait Cy-
 prianus, quantũ perniciosum est ad sequentiũ lapsum
 ruina, tantũ cõtrã utile est & salutare, cum se per fir-
 mamentũ religionis, fratribus præbet imitandum. Væ
 igitur episcopis, si qui sint muneris huiusobliti, quia, ut
 dicitur, cui multũ datũ est, multũ queretur ab eo. Cæ-
 terũ olim episcopi uocabãtur presbyteri, teste non uno
 in loco, diuo Hieron. & præsertim in epistola ad Eua-
 griũ, ubi docet, qua de causa episcopi postmodum esse
 cœperint, inquit: Quod autẽ postea unus electus est,
 qui cæteris præponeretur, in schismatis remediũ factũ
 est, ne unusquisq; ad se trahẽs Christi ecclesiã rũperet,

nam & Alexandria à Marco usque ad Dionysium,
presbyteri semper unum ex se electum episcopum no-
minabant, quomodo si exercitus imperatorem faciat,
aut diaconi eligant de se, quem industrium nouerint,
& archidiaconum uocent. Quid enim facit excepta
ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat? &c.
Quid, quod & Chrysost. homilia 2. in epist. ad Phi-
lippenses, docet episcopum dictum etiam esse diaco-
num, hoc est, ministrum? De episcopi nomine & offi-
cio satis dictum habeo: idem uero pontifex uocatur, à
posse & facio, ut Scaeuola affirmat: ut autem Varro-
ni placet, à ponte, nam pons in Tyberi nomine publi-
cius primum à pontificibus factus est, postea saepe re-
stitutus, quod ligneus esset, necnon cæterorum pon-
tium sarcinendorum cura eis data est.

De primo sacrorum quibus initiantur ij, qui sacer-
dotes fiunt, & amiciendi usu, ac ibidem de sacerdotis
officij initio. Cap. VII.



Romani pōtiffices Hebræorum secuti in-
stitutum, primi omnium sacris quibus-
dam initiare cœperunt ostiarios, siue ian-
itores, lectores, exorcizatores, acolu-
thos, subdiaconos, diaconos, hoc est, Leuitas, quos nu-
mero septem ipsi apostoli delegerant, presbyteros, &
episcopos, quo sic per gradus ad sacerdotiū unusquisq;
promoueretur. Quos quidē ordines Caius Romanus
pontifex

pontifex qui ex Diocletiani Imperatoris genere ortus
 erat, primus distinxit, quibus tãquam quibusdam gra-
 dibus ad episcopatum ascenderetur. Non nemo id Igi-
 nio pōtifici qui diu ante Caium sedit, assignat, cum quo
 me consentire minus pœnitet, nam sic fieri potuit, ut
 quod Iginus inchoauerat, Caius rite perfecerit. Atque
 tum primũ coeperunt apud nos sacerdotes nouis atque
 sacris initiari ordinibus, quod uel colligere licet ex
 Tertulliano autore lōge antiquissimo, qui libro de ex-
 hortatione castitatis, eam rem planam facit scribens:
 Nōne & laici sacerdotes sumus? scriptum est, Laici
 sacerdotes sumus, regnum quoque nos, & sacerdotes
 deo, & patri suo fecit. Differentiam inter ordinem &
 plebem, constituit ecclesiæ autoritas. Haftenus Ter-
 tullianus. Illud item cōstat, alio apud nos, ac apud He-
 bræos modo, istos ordines distribui: illi enim in eo ordi-
 ne perpetuò erāt, in quem à principio recepti fuissent,
 nostri autem gradatim per omnes ordines ad sacerdo-
 tium ueniunt. Fuit iam inde ab initio sacerdoti in pri-
 mis negocium à Christo datum, ut doceret, baptiza-
 ret, cōsecraret eucharistiam, ministraret alijs, ligaret,
 solueret: quod fit, cum sacerdos ut custos & rector scit,
 qui apud deum aut ligandus aut absoluentus sit. Item
 iudicaret de dogmatibus, oraret pro alijs, ac sacrificiũ
 laudis, de quo alibi tractabimus, pro salute populi of-
 ferret. Et hæc ex euangelijs, atque apostolorum testi-
 monijs cognoscere licet. Videant igitur qui sacerdotes

faciunt, quo se crimine obligent, si sint sacerdotes ad ea obeunda munia minus idonei. Sunt autem infiniti, qui tantum celebrandis missis operam dant, & eius rei causa sacerdotes sunt, perinde quasi in ea omne consistat officium. Vestes uero sacras quibus nostri amicitur sacerdotes, ab Hebræis, uti superiore capite dictum est, habent: cuius nempe rei argumentum est, quod nostri tum pōtiffices, tum sacerdotes, partim eadem induunt uestimēta, ut puta zonam, seu cingulum, tunicam talarem, quam uocamus albam, tunicā hyacinthinā, ac mitram: partim non longe forma aut colore differentia, cuiusmodi sunt amictus capitis operamentum, qui loco cidaris usurpatur, planeta siue cassula quam uocant, sabrefacta instar rationalis, hoc est, logij, pallium haud absimile superhumerali, & caligæ uice feminalium. Vnde denique liquidò apparet, pleraque omnia ab ipsis Hebræis uno uel altero modo esse mutuò accepta, sicut illos ab Aegyptijs primitus sumpsisse uerisimile est. Porrò Aegyptij sacerdotes ex Pythagoræ præcepto, lineo tantum uestimento ut purissimo mundissimoq; in rebus diuinis utebantur, laneum uero ut prophanum uituperabant, quia ab animato decerpitur, conficiturq; ex morticina materia. Contrà linea ideo pura uidebantur, & sacrificantibus accommodata, quoniam linum ex terra oritur, quæcunque autem ex terra nascūtur, munda & pura existimarunt. Hæc & id genus alia Herodotus libro secundo

cundo tradit, & apud Philostratum memorat Tyaneus Apollonius. Atqui pari etiam ratione Hebræi Aegyptiorum institutum imitati esse uidentur, Iosephus enim libro sexto Iudaici belli, scribit sacerdotes ad altare templumq; accedere solitos omni uitio carentes, ueste byssina, id est, linea amictos. Et Hieronymus in libro de ueste sacerdotali ad Fabiolam, docet tunicam poderin, hoc est talarem, superhumerali, quod & orarium dicitur, feminalia, cingulum, & tiamram linea esse indumenta. Adde & quod scriptum legitur in Ezechiele, cuius uerba subiiciam, quæ sunt huiusmodi: Cum ingredientur portas atrij interioris, uestibus lineis induentur, nec ascendet super eos quicquam laneū, quando ministrant in portis atrij interioris intrinsecus. Vittæ lineæ erūt in capitibus eorum, & feminalia lineæ erunt in lumbis eorum, &c. Sic nostri sacerdotes linteati linigeriq; id est, lineis uestimentis amicti, templum & altare adeunt, in sacrorumq; pompa incedūt, ritu dubio procul ab Aegyptijs per manus Hebræorum, usque ad nos translato, & id credo, quia, teste Cicer. de legibus, color albus præcipue decorus deo est habitus. Verum quia splendidus cultus facit auctoritatem, placuit propterea patribus & bombycinas introducere uestes, ut qui arbitrati sunt, opinor, nequaquam id luxuriæ uitio dari posse, quod ad diuini cultus magnificentiam adhiberetur. Insignia pontificatus ab ipsis etiã Hebræis omnia ferè accepta, id est,

linea uestis summa, quæ niueo candore insignis uitam undique inculpatâ admonet, uelut mitra bicornis noui pariter ac ueteris instrumenti scientiam. Adduntur bina cornua, quoniam Moses acceptis tabulis, quibus mandata dei inscripta erant, uisus est suis cornutus. Aureum diadema gemis distinctum Constantinus Imperator primus Syluestro pontifici Romano obtulit, quod ille non recepit, ueluti parum religioni idoneum, phrygia mitra candida contentus: sed pontificum posteritas donum deinde principis haud aspernata est. Baculus instar Moſis, seu Aaron uirgæ datus, populi uitia castigandi potestatem attribuit. Annulus Christi & ecclesie copulationis, ut pignus habetur: sicuti chirothecæ purum manuum ab omni humanarum rerum contagio officium, diuinarumq; administrationem, & pedum operimenta crediti gregis uigilantissimam curam indicant. Atque hæc ferè omnia ex decreto Clementis accepta ferunt, quæ undecunque manarint, magis omnino hebraica quàm apostolica instituta referunt. Quædam quoque alia sunt ad usum sacerdotum, mystice ab insequentibus quæſita, de quorum initijs nihil omnino certi habeo tradere.

Vnde mos natus, cur omnes initiati uerticem derant, & quando lege exceptum sit, quibus initiari non liceret, & quomodo liceret.

Cap. VIII.

Commune



Ommune initiatis omnibus insigne est uertex rasus, præcipuum sacri prophætiq; capitis discrimen, qui admonet sacerdotes, spretis omnibus huius mundi

uoluptatibus, oportere cœlestia tantum meditari. Hoc, autore Beda, in ecclesiast. historia Anglorū, ideo per patres in consuetudinem uenit, legeq; sancitū, ut quod à principio ab inimicis probro & ignominiæ est datū, hoc honori mox, decoriq; haberetur. Siquidē cum Petrus, prout idem prodidit, Antiochiæ concionaretur, fuit illi ab improbis summum capitis abrasum, ut ludibrio cunctis impendio foret. Fuisse autem radere caput probrosum, hoc arguit, quod apud Romanos consuetudinis fuit, captiuitate liberatos currum triumphantis sequi, raso capite, & pileatos, etsi illud nota erat adeptæ libertatis. Sed apud Longobardos, id in rebus longe post homines natos fœdissimis habitum: sic enim Archpertus inuaso per uim regno, Rhotarim ducentem qui Linthperto regio puero fœuebat, captum totondit. Ego dixerim à Nazaræis, quorum secta apud Iudæos celebris erat, initium huius rei ortū, quod illi prius seruatopilo, denuò post magnam uitæ continentiam, caput abraderent, capillosq; in sacrificij ignem iniicerent, ut eo modo suæ pietatis perfectionem domino consecrarent. Meminit & Iosephus de huiusmodi more dedicandi capillos, quem Nazaræi obseruabant, libro 4. antiq. scribēs: Si quis eorum uouerit, quos Nazaræos appellat

appellant, comam nutrire, & uino non uti: isti dum capillos suos dedicant, propter sacrificia, ueniētes ad sacerdotes corbam offerūt, quod significat munus. Erāt Nazaræi, teste Origene super Numeros, qui semetipsos deuouebant deo, de quibus lex per Mosē data fuit, ut in iisdē Numeris extat. Sacerdotibus uero dominus per Mosē, ut in Leuitico patet, capitis & barbæ interdixit rasiōe: & apud Ezechielem præcepit illud idem, dicens: Sacerdotes caput suum non radant, neque comam nutriant, sed tondeant. Cæterum Herodotus in Euterpe, & Plinius scribunt, sacerdotes Aegyptios cōsueuisse derasis capitibus mœrere, & in luctu esse, ex morte Apis, qui in Aegypto numinis uice colebatur, ac demum totum corpus eradere, ut ne quid eis inter deorum cultum, aut pediculi alterius uel sordis crearetur. Meminit & Apuleius libro Asini sui aurei 2. de huiusmodi sacerdotibus derasis. Hinc igitur, opinor, fluxit ritus Nazaræorum, & ab ijs nostrorum sacerdotum, qui iubentur caput radere, & comam nutrire & crescere. Hieronymus uero, quod & in decretis canonicis scriptum leges, rasiōem capitis & coronam significare autumat diuitiarum omnium depositionem, at capillos qui remanent, designare aliqua sacerdotibus esse retinēda, ad sustentationem. His autē perbellis interpretationibus bene multi sacerdotes gaudent, ritusq; seruandi causa, late uerticem radunt, sed ex magnis opibus, quas habent, nihil impertiri, nihil depo-

deponere, nihil relinquere uolunt. & hæc est cærimonia-
 riarũ summa. Ad rem redco. Paulus apostolus in Cen-
 chris nutriuit, & totondit comam, rasit caluitium, ex-
 ercuit nudipedalia, autor idem Hieronymus aduersus
 Iouinianũ libro primo. Quæ uero qualiã ue essent nu-
 dipedalia sacra, dicitur libro sexto, capite 11. cum de
 uouendi usu agetur. Barbam itidẽ aut comam ne præ-
 sul nõue reliqui sacris initiati nutrirẽt, ex Mosis præ-
 scripto, secundum apostoli præceptum, primus uetuit
 Anacletus quintus à Petro pontifex Romanus. Fuit &
 eiusdem decretum, ut episcopus à tribus initiaretur epi-
 scopis, sacerdos uero ab uno tantum, cui subesset. autor
 Gratianus. At Romanus episcopus à tribus quoque,
 sed certis episcopis apud Lateranum consecratur, hoc
 est, Ostiensi, Portuensi, & Veliterno. Sic Ioãnes quin-
 tus primus consecrari uoluit, quem ritũ postea succes-
 sores seruauerunt. Quin iam tum mos inoleuit, ut ponti-
 fici renunciato ipse Ostiensis præsul inter sacrificandũ
 coronam imponeret, cum satis constet antea pontificẽ,
 uel Imperatoris Constantinopolitani, sicut infra dice-
 tur, autoritate electum, consueuisse duci ad cathedram
 diui Petri, & postquã in ea sedisset, tum ut rite factum
 pontificẽ haberi, alijs cunctis cærimonijs neglectis. Di-
 gamus uero ne ad officium sacerdotis admitteretur, Syri-
 cius decreuit, ac si iam admissus esset, ut ab eo pellere-
 tur, quod apostolus illud antea prohibuisset, qui ad Ti-
 motheũ scribẽs, uoluit episcopũ unius uxoris esse uirũ.

Sicut

Sicut ne debiles membris aut manci in sacerdotum numerum reciperentur, Anastasius primus constituit, & utrunque ex Mosis legibus esse dixerim, qui ut mancos procul à sacerdotio esse uoluit, sic ea ratione iussisse uidetur, ut pontifex uirginem tantum duceret uxorem, quo ab eo digamiam excluderet, utpote quæ iam inde ab initio apud priscos quoq; impedimento esse consueuit sacerdotium petere uolentibus: quod testatur Seruius, enarrans illud quarti Aeneidos:

Huic uni forsán potui succumbere culpæ.
 ubi ait, Culpæ, propter antiquum ritum, quo repellentur à sacerdotio bis nuptæ. Præterea ne quisquam minor triginta annis presbyter fieret, Bonifacius primus censuit, quia credo, ea fuit apud Hebræos, teste Hieronymo, in proœmio in Ezechielem, ætas sacerdotalis ministerij. Illud deinde decretum Lateranensis concilij autoritate, ad episcopos eligendos translatum constat, estq; statutum, ut uigintiquinque annos natus dūtaxat presbyter creari posset, atque hoc ad imitationē, opinor, Leuitarum, qui, uti in Numeris extat, non antè incipiebant famulari in tabernaculo, quàm totidem nati essent annos. Et illa episcopis, hæc presbyteris legitima ætas, quo iam consilio boni sacros canones recte prius nosset, quemadmodum Coelestinus primus iusserat, quàm alios regere, uel docere inciperent. autor Gratianus.

Qui

Qui primitus in urbe Roma & alibi presbyteris
parochias, ac episcopis dioeceses diuiserint, & de car-
dinalium ordinis origine. Cap. IX.



Acerdotio rite instituto, uisum est pas-
tribus in primis conducibile, ut munera
diuiderentur, quo pro se quisq; suum
& officium nosceret, & impigre face-

ret. Itaque summum rerum, id est, animarum curada-
rum negocium presbyteris datur: & id præcipue Ro-
mæ, ubi apostolica sedes iam locata erat, institutū cœ-
pit. Et ne ea administratio in promiscuo esset, Euari-
stus pontifex primus omnium, titulos ipsis presbyteris
diuisit, septemq; diaconos instituit, qui ueritatis gratia
concionatorem obseruarēt. Secundo deinde loco, cir-
citer annum salutis CCLXVII, Dionysius tam
presbyteris urbis Romæ, quàm aliarum gentium tem-
pla, cœmeteria, & parochias quas dicunt, diuisit, præ-
terea episcopis dioeceses distribuit, mandauitq;, ut
unusquisque suis finibus ac limitibus contentus esset.
Parochias, ut hoc obiter demonstremus, nostriappel-
lant singula tēpla dioecesis, & eorum territorium certis
terminis distinctum: quod qui terunt, hoc est, incolunt,
parochiani dicuntur, à parochis puto dictas, erāt enim
parochi magistratus apud Romanos, qui publicis le-
gatis ligna & salem præbenda curabant. Horatius li-
bro primo Sermonū: Et parochi quæ debent ligna,
salemq;. Et quia sine igne, & sale, apud Hebræos, uti
infra

infrà dicitur, nullum fiebat sacrificium, & ut parochi legatis usui necessaria providebant: ita sacerdotes templorum præfecti suppeditant suis parochianis, quæ ad salutem animarum pertinent, non ab re parochias uocamus. Ad propositū redeo. Nec ita multo post Marcellus titulos urbis ab Euaristo primitèr presbyteris datos numero limitauit, decreto statuens, quinque & uiginti, ac quasi dioeceses esse, ad baptizandum eos, qui ex gentibus in Christianorum coetum quotidie uenirent, & sepeliendū defunctos. Hæc ex Bibliothecario, Damaso, Platina, ac alijs uel recentioribus sacræ historiæ scriptoribus, quos miror neque hoc neq; alio, quod sciã, loco non explicuisse, qui essent ij presbyteri, quibus titulos in urbe datos referunt, unde haud dubie prima cardinaliū origo est: sed ueluti par est cõiectare, illi rem, ut ab initio parū clarã silentio prætereundã fortè duxerunt, quam iurisperiti quidã postmodū edocere tentarunt. Verum & illi cum nihil certi haberet, quod proderent, more eorū, qui cum obscuri sint, inani nobilitatis nomine sibi blandientes, alius ad Achillem, alius ad Aeneam, alius ad Numã Pompiliū, suum genus referūt, magnopere conati sunt ostēdere cardinaliū coetū ab Hebræis esse profectum, & ante omnes id præstare ausus est Siculus Andreas, cognomēto Barbatius, qui ut à Bessarione antistite seculi nostri, uere ultra alios, & animi & corporis dotibus cardinale, gratiam iniret, de ea re commentariolum primus ædidi.

Sed ne hominem sæpius citando defatigemus, ipse suam incipiat narrare commentum. Occurrit, inquit, illud quod in primo Regum libro, cap. 2. pulcherrime scriptum est: Domini enim sunt cardines terræ, & positus super eos orbem. Quam auctoritatē Hostiensis doctor excelsus figurauit ad cardinales: sicut enim ostium regitur cardine, ita & ecclesia Romana regitur consilio cardinalium. Hæc ille. Vide, non secus isti iuriscōsulti aliquoties detorquēt sacras literas quō uolunt, ac sutores sordidas solent dentibus extendere pelles. Si fuit id oraculum, ut quandoq; illi qui cardinales appellarentur, regerent apud Romanos christianam rempublicam, etsi reor nunquam tale quid somnium esse ab Anna, quæ inibi loquitur, cur non potius illud referendum est ad episcopos & presbyteros, qui per diu antea cardinales, id est, præcipui siue primarij & nuncupati sunt, & res religionis gesserunt? quod ipse testimonio Guidonis archidiaconi Bononiensis iuriscōsulti non contemnendi cōprobat, dicens: Olim autem in quacunq; ecclesia principales sacerdotes seu episcopi dicebantur cardinales, id est, principales. Et inde pergit: Scriptum est in Deuteronomio, Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, recurre ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicē, qui fuerit illo tēpore, ipsi enim iudicabūt tibi iudicij ueritatē. Et subdit: Ecce nunc, quod sacerdotes Leuitici tēpore ueteris testamēti erāt consiliarij, & sic fuerūt de iure diuino, licet non sub nomine
 cardinas

cardinalium, sed huiusmodi sacerdotes, consiliarij sunt domini cardinales hodie, sic appellati, &c. Non animaduertit Siculus illum locum apud nos, iampridem ab episcopis & alijs sacerdotibus inferioribus occupatum esse, qui unà cum episcopo Romano, amplius mille annis gubernarunt Romanam diocesim, antequam quisquam illud sublime cardinalis nomen, quale nunc ubique late resonat, tulisset, ac propterea suos dominos cardinales tarde uenisse, ut iure dici possint apud nos, in locum Leuitarum sacerdotum successisse. Haec de ioculatoria Siculi disputatione. Ceterum Guido archidiaconus proxime uerum accessisse uidetur, qui in commentarijs, quos in sextum iuris pontificij librum scripsit, & Franciscus Zabarellus cardinalis ex testimonio Martini Cisterciensis historici, qui Innocentij quarti pontificis aequalis fuit, referunt anno circiter humanae salutis ducentesimo trigesimo altero, sedente quodam Pontiano, qui in ordine Romanorum pontificum non ponitur, fuisse Romae ducentos triginta sex sacerdotes cardinales, & sexagesimo septimo deinde anno, Marcellum quem nos diximus diuisisse titulos presbyteris, constituisse quindecim cardinales, qui mortuos sepelirent, & infantes baptizarent. Haec non multum discrepant ab ijs, quae ex Bibliothecario, Damaso, & Platina, supra memorauimus. Sanè hi Marcellum aiunt quinque & uiginti dioeceses constituisse, ad usum baptismi, & sepulturae: illi uero scribunt eundem

dem pontificē quindecim fecisse cardinales, qui baptizandi infantes, atque tumulandi defunctos curam sustinerent. Atque hæc uera cardinalium ordinis origo est, non sicut ab initio aliud cardinaliū nomen, quam excellentioris epitheti appellatio, perinde ac id usurpamus, cum dicimus, solanum, fauonium, austrum, & septentrionē, quatuor esse uentos cardinales, id est primarios: ueluti altissimæ partes cœli uocitantur cardines, quod circa illos mundus rotetur, & à similitudine eorū nuncupentur cardines, circa quos ualua uoluuntur. Non fuit item aliquandiu deinde aliud esse cardinalem, quam ante alios habere curam animarū: quod ut alijs post iudicandum melius relinquam, testimonia quæpiam etsi recentiora, ex diuo Gregorio subijciā. Is enim libro epistolarū primo, Corsicæ insulæ sacerdotū coctui & nobilibus ita scribit: Ea de re quoniam ecclesiastica Alariensis, Sagonensis sacerdotis diu est auxilio destituta, necessarium duximus Martinum episcopū fratrem nostrum ibidem cardinalem constituere sacerdotem, Leoni uero fratri nostro operam uisitationis iniungere. Ibidem ad Ianuarium archiepiscopū Carallis Sardinie. Liberatus igitur de quo nobis significasti, quia diaconi sungeretur officio, si antea non est factus cardinalis, ordinatis à te diaconis nulla debet ratione præponi. Et infra subdit: Si eius obedientia fueris inuitatus, & eū post hæc cardinalē facere uolueris, &c. Item ad Ioannem episcopum Squallatinum: Pastoralis

officij cura nos admonet, desitutis ecclesijs proprios
constituere sacerdotes, qui gregem dominicum guber-
nēt: propterea te Ioannē Lissitanæ ciuitatis episcopū
nostrū in Squillatina ecclesia cardinalem duximus con-
stituere sacerdotem, ut semel animarum curā spē futu-
ræ retributionis susceptam impleas, & reliq. Verum
cum postea Bonifacius tertius, ab imperatore Phoca
impetrasset, ut in omnes episcopos prerogatiuā habe-
ret, omniumq; caput perpetuò foret, uti infra subtilius
dicetur, iam tum Romanus pōtiffex multo quā antea
unā cum suo urbano sacerdotū senatu, cunctis sine con-
trouersia, præstare autoritate cœpit, ac simul illi pre-
sbyteri quibus olim tituli dati, quibus christianorū ani-
mas curādi munus demādatum fuerat, eo cardinalium
nomine uelut supremæ illius dignitatis proprio cū pri-
mis honestari cœpere. Ac ita quod principio prorsum
oneri fuit, summo tādē honori esse cœpit, nec imme-
ritò, quando illi in administranda republica christiana
suo pōtiffici semper præstò aderant, sic uel ijs paulatim
decus accessit, paulatimq; inter cōtentiones Imperato-
rum, ac populi Romani de pontifice creādo sæpius or-
tas, prerogatiua iusq; ipsius pontificis eligēdi partum
est, adeò ut Innocētius eius nominis quartus, qui circi-
ter annum salutis M C C X L I I I apostolicam te-
nere cœpit sedem, postremo publico decreto sanxerit,
ut equo deinceps insidētes rubro uterentur galero, quo
maior adhuc ordini accresceret maiestas, argumento
tamen

tamē manifesto oportere eius ordinis antistites semper esse paratos, pro religionis defensione offerre se in discrimen, & sanguinem effundere. Ita deniq; cardinalis nomen celebre reddidit, ita ordinē instituit supremum. At istuc insigne ad imitationē Hebræorum sacerdotū datum esse uidetur, nam illi tiara utebātur, uti suprā diximus, quæ, teste Hieron. rotunda erat, ut pileus. Inde ad differentiam ordinis, episcopi quoque petasum ferre coeperūt, qui extrinsecus niger, intrinsecus uero uiridis esset. Dedit postea Paulus secūdus tegmēta capitatis coccinea, ut hæc etiā cum rubēti petaso ordinis insignia forēt, quæ pictores deinde nostri nimirū ualde pij uel duo Hieron. impertiti sunt, quibus nūc eius simulacrum passim in sacris ædibus ornatū uisitur, quia dicitur presbyter Romanus fuisse, etsi per id tēpus, quo ille uixit, ne nomen quidē tam sublime cardinalis erat auditū. Faciūt præterea fidē tituli, quos hodie tenēt cardinales, quos uocamus, in locum illorū perpetuo tenore successisse presbyterorū, quibus prout declaratum est, Euaristus primū titulos, deinde Marcellus uelut dioceses digesserat. Adstipulatur & illud, quod fertur Anastasius presbyter cardinalis sancti Marcelli à Leone III. dānatus reiectusq; ab ordine, quod cōtra canonū sanctiones, quinque annis parochiam non adisset suā. Quāquā uel me minime fugit Innocen. III. in suis decretalibus epist. appellare sacerdotes Leuitici generis fratres suos in ministerio sacerdotali adiutores: at ea

uerba plures iurisconsulti recte sentiētes ad episcopos, non ad cardinales attinere affirmāt, quo locum uel sic tue ātur, uel emēdēt. Sed iam satis de initio ordinis, qui nunc supremus habetur, cardinaliū, à pio orti ministerio, qui tanto mox incremento auctus est, ut omni illo quōdam onere leuatus, solus sit totius reipublicæ christianæ senatus. Quo factum est, ut urbs etiā Roma lux olim orbis terrarū, atque arx omniū gentiū suum recepisse senatiū, quo late regebat, meritò sibi uideri possit, simulq; gaudere, quod hi senatores non cēsu, sicuti priusci illi Romani, sed uitæ sanctimonia, doctrina, moribusq; inculpātis ornati iam inde ab initio, de consilij sentētia cooptari cœperint. Quanquā inficias ire non licet, & huc sacrosanctæ legi aliquoties derogari, nam pinguis est, ut iam uulgò dicitur, panis Christi, cuius dulcedo iuxta probos ac improbos allicit, & ut illi bono modo, ita hi malo ad eam degustandā non raro penetrāt. Quare periculum est, ne aliquādo sacerdotalis ordo inde labefactari incipiat. Is autē ordo ex triplici initiatorū genere constat, sunt enim aut episcopi, & ij quidē numero sex, Ostiēsis, Sabinēsis, Portuēsis, Tusculanus, Prænestinus, & Albanensis: aut presbyteri, aut diaconi, neutrorū tamen certo præscripto numero.

De origine honorū, qui Romano pontifici habentur, & de eius autoritate in omnes ecclesias, atque quibus illius & episcoporum ac Imperatorum occidentaliū eligendorum ius à principio fuerit. Cap. X.

Primus



Rimus honor Romano pontifici habetur, ut si minus pulchro honestetur nomine, ei statim creato liceat illud mutare. Verbi gratia, non extra iocum di-

ctum sit, Si homo maleficus antea fortè fuerit, ut Bonifacius appelletur: si timidus, Leo: si rusticus, Urbanus: si improbus, Innocētius: si ferox, Clemens: si male audierit, Benedictus, quo saltem nomine pontifex ornamento sit dignitati. Eius autem rei autor fuisse dicitur Sergius secūdus, cui cum os porci diceretur, ad obscenam appellationis uocem tollendam, datum est, ut aliud sibi nomen optaret. Et illud aiunt ex imitatione Christi esse factū, qui Simoni Bar Ionæ nomen Petro indidisset. Manauit dein mos ad posteros, ut qui pōtiffices crearentur, omisso priore nomine, eligerent sibi unum aliquod ex pōtifficum qui antè fuissent, nominibus. Item Romanus pōtiffex humeris hominū circūferitur: hoc inde natum quidam arbitrantur, quod Stephanus eius nominis secundus, ut populo Romano ob insignes animi uirtutes uitæq; integritatē charissimus statim factus, pōtiffex humeris omnium præ gaudio exultantium fuerit sublatus, atque in ædem seruatoris ad Lateranum deportatus. Quem ritum deinceps seruant successores, adeò semper ueterum honorū ac pomparum magis quàm morum tenax est posteritas. Ego tamen dixerim illud ab ethnicis mutuò sumptū, quando apud Romanos cū primis mos fuit, ut prædiuites ac

primarij uiri lectica seruis gestata ueheretur. Iuuenalis:

Quadriuius? cum iam sexta ceruice feratur,

Hinc atque inde patens, ac nuda penè cathedra.

Et lectica hæc græce dicitur hexaphorus, quia sexta ceruice, hoc est, sex seruis, sicut ait Iuuenalis, ferri solebat. Martialis libro epigram. 4.

Cum tibi non essent sex millia Ceciliæ,

Ingenti late uectus es hexaphoro.

Ius autem creandi Romani pontificis usque ad tempora Constantini Imperatoris, cum pontificatus potuit cruciatus potius dici, quàm dignitas, haud dubie penes collegium Romanorū sacerdotum fuit. Postea paulatim cœpit eiusdē collegij, cum populi suffragio, ea electio firma esse, quam Constantinopolitanus probasset Imperator, idq; institutum durauit usque ad annum salutis DCLXXXV. Quo quidem tēpore Constantinus quartus Imperator sanctitate Benedicti secundi permotus statuit, ut quem iam inde sacerdotū senatus populusq; Romanus pontificem creasset, is uerè successor Petri haberetur, cum ante id tempus, Constantinopolitani principis & Italiæ exarchi autoritate, ea sit dignitas rata habita, id quod postea haud diu est seruatum: nam cum paucis post annis Gregorius tertius ac nonnulli alij deinceps pontifices Longobardorum iniurijs pressi, nihil auxiliij à Constantinopolitanis principibus haberent, ad Carolum primo Martellum, & Pipinum, deinde ad Carolum Magnum ipsius Pipini filium

lium Francorum reges cōfugere coacti sunt. Quas ob res, Leo tertius ipsum magnum Carolum fecit Imperatorem, cuius successores cōsueuerunt iidem pontificis electionem confirmare. Atque sic usu uenit, ut tum primum tutela Romani pōtificis ab Imperatoribus Constantinopolitanis ad alios translata sit. Postremo circa annum salutis M LIX, Nicolaus secundus concilio celebrato, pōtificum electionem ad cardinales illos, qui ut supra diximus, animarum curam gerebant, tantum reduxit, idq; hodie seruetur. Quod autem per Nicolaum sanctum est, scriptum leges in canonicis decretis, distinctione xxij. Sed ea electio tam à reliquis sacerdotibus, quàm à populo Romano comprobanda erat, poteratq; optari, qui etiam illius non fuisset collegij. At utrūque breui post tempore penè est antiquatum, nunc enim cardinales & sine populi sacerdotūque consensu, & cardinalem tantum faciunt pontificem Romanum, quamuis nulla lege exceptum sit, quin iure queant cuiusuis ordinis uirum pontificem creare. At ea prima, deinde altera tertiā ue electionis immutatio causa fuit, suspicor, quamobrem nōnullæ ecclesie posthac conatæ sint pro suo iure, sine Romani pontificis autoritate, agere: quæ tamen paulatim ad officium rediere: nam Græci antistites, Simplicio sedente, Romanū pontificem omnium caput esse ulro declararūt, qui fuit annus salutis quadringentesimus septuagesimus quintus. Is dein Ioanni Constantinopolitano

episcopo id ad se honoris reuocare conanti etiã iuuantem
 te Mauritio principe, gnauiter restitit, ac breui post
 recuperata prorsus dignitate, Phocæ Imperatoris ius-
 su, est rursus princeps omnium declaratus, etsi Græcis
 argumentantibus eo loci debere esse christianæ pieta-
 tis arcem, quo & imperij. Idem ut pater Rauennates
 episcopos ad officium reuocauit, quos iam pridem Lon-
 gobardorū ac exarcharū temeritas alienauerat. Item
 & Mediolanenses eisdem furoribus actos post ducen-
 tos annos quàm descuerāt, ad sanitatē reduxit. Quin
 uel Aquileienses nonnihil sub Gregorio aberrātes bre-
 uis ad obsequium retracti, & pallij usus post cētum &
 quinquaginta annos, quàm eo fuerant priuati, restitu-
 tus. Atque sic Romanus pontifex cunctarum est eccle-
 siarum caput, & id quidem summo omnium gentium
 consensu, ita ut non sit uel impijs hominibus locus iam
 ullus aliter somniandi nedum disputandi relictus. Ius
 autem eligendorum episcoporum, sacerdotum, ac dia-
 conorum iam inde à principio penes apostolos, & dein
 apud sacerdotes ciuitatū, non sine tamen suffragio ple-
 bis, atque iudicio uicinorum episcoporum fuit. Et hūc
 ritum diu seruatum esse diuus Cyprianus non uno in lo-
 co, & in epistola præsertim quarta ad Felicem presby-
 terum testatur, atque inibi de ea re luculenter edisserit.
 Sed cum ista lex iam pridē refrixerit, nihil est quod hic
 Cypriani uerba ponamus. Episcopū uero ita electum
 cæteri prouinciæ episcopi initiabant, idq; fiebat de-
 creto

creto Niceni conuentus, quo exceptum erat, ut episcopus si fieri posset, à totius prouinciæ, sin uero difficile foret, tum non minus quàm à tribus initiaretur, & id non sine metropolitani autoritate. Vtrunque hodie penes Romanũ pontificem est, ille enim creat episcopos, & initiat, uel secundũ Nicenum præscriptũ, initiari, id est, consecrari mandat. At post hæc, creatio episcoporum in aliam formam mutata est à Bonifacio tertio: is enim decreuit, ut ab urbiũ populo sacerdotumq; cœtu eligerentur, non refragante loci principe, & pontifice Romano annuente his uerbis: Volumus, & iubemus. At illud decretum uelut non illaudabile citò obsoleuit, cunctis semper in peius nostris delabētibus rebus. Postea Imperator de ea re consuli cœpit, sed id ius Ludouicus Caroli Magni filius Paschali pōtifici restituit, paulò ante Carolo patri ab Hadriano concessum. Veruntamen hodie bona principum nostrorum pars illud mordicus tenet, imò non modò episcopos passim quos uolunt, declarant, renunciant, dicunt, sine sacerdotum populiq; suffragio, sed sunt qui suis duntaxat diplomatibus possessionē minorum sacerdotiorum tradant, quod modis omnibus Simplicius ac Gregorius uetuerunt. Imperatores uero nostros, occidentales dico, iam inde ab initio penes Romanum pōtificem creandi potestas fuit, quando Leo tertius, sicut suprà tradidimus, Carolum Magnum primitus Imperatorem fecit, coronaq; qua honestantur Imperatores, donauit, quã Plati-

tina

tina diadema uocat, est enim fasciæ lineæ, qua insigni reges utuntur. Postea Ioānes duodecimus Othonem Germaniæ regem Imperatorem creauit. Et postremo Gregorius quintus, ut suam gentem, fuit enim homo Germanus, singulari quopiam beneficio afficeret, auctoritatem in posterum tempus, eligendi Imperatoris fecit archiepiscopis, Moguntino, Treuerensi, & Coloniensi, item marchioni Brādeburgensi, comiti Palatino, duci Saxonie, & regi Boëmiæ, ut qui ab eis renunciatus esset, Cæsar & Romanorum rex diceretur, ac deinde Imperator statim, ut electionē huiusmodi Romanus pōtiffex cōprobasset. Fuit is annus humanæ salutis L M I I. Atque sic Germani principes ius illud acquisiuerunt, quod etiamnum habent, retinent, conseruant.

Qui primitus notarios in urbe Roma cōstituerint, qui res martyrum gestas scriberent, & ibidem de protonotariorum ac cubiculariorum origine. Cap. XI.



Vgebatur principio assidue inter sæuas Romanorū principū persecutiones, peritorum numerus, & quo magis illa feritas debacchabatur, hoc plures quotidie eius modi tormēta subire non formidabant, ut iam multitudo Christianorū multo esset ipsis Imperatoribus suspectior quàm religio. Ne igitur memoria tot fortium factorū, quibus nunc fulget religio, instar solis & lunæ, ullo unquā tempore hominū mentibus excideret, nèue posteritatē

posteritatē quādoq; lateret, quonā pacto illa ubiq; gentium propagata fuisset, Iulius eius nominis primus Romanus pōtife x omnia ad rem sacrā pertinentia per notarios literarum monumentis mandanda curauit. Hi ab initio fuisse uideri possunt, quos hodie protonotarios uocant, quorum officium est, res præcipue gestas conscribere. Huic opinioni sunt qui adstipulentur: ego tamen tam pium factum Clementi primitus malim assignare, quē constat regiones septē notarijs diuisisse, qui diligēter res martyrū gestas scriberent: sed illud postea Antherus stabilius reddidit. Quod sicut Clementis & Antheri fuit institutum, ita fieri potuit, ut successorum incuria intermissum à Iulio postremo fuerit renouatū. Atque tale nostri protonotarij habuere principium. Reperio etiā Fabianum qui Anthero successit, & Caiū deinde regiones diuisisse diaconis, qui itidem gesta martyrum literis mandarent. Verum hoc munus tempestate nostra excusso scribendi onere, in ordinem abiit haudquaquam indecorum, etsi uenalis est. Sunt hodie protonotarij apostolici numero septem, qui, ut dictum est, in illud collegium precio cooptantur. Sunt præterea extraordinarij sine numero à pōtifice gratuito creati, qui eius dignitatis priuilegijs perinde gaudent, atque alij, commodum aliud non consequuntur. Omnes pileo utuntur nigro, dum equo insident, quod introductum dixerim, ut à cardinalibus & episcopis, per hoc insigne interno sceretur, quando indifferenter

omnes lineam togam induit. Ita coniectare licet, cum minime tradatur, quando primum petasati incedere coeperint, & eorum collegia à quo fuerint primitus uentilia facta. Item Leo eius appellationis primus rebus diuinis intētus, cum populus frequens ex omni parte orbis Rom. uenire causa cōcurreret, apostolorum sepulchris custodes ex Romanis addidit sacerdotibus, & eos cubicularios appellauit. Illud bonus pontifex ea de causa fecisse uidetur, quò augetur pietas eo loci orantium, cum animaduertent diuorum reliquias non sine ueneratione seruari. Sed memoria nostra obsoleuit ista consuetudo, cum pauci certò sciāt ubi loci ipsa apostolorum ossa iaceant. Quare à sepulchris ad cubiculum pontificis custodiendū, cubicularij huiusmodi traducti dicuntur, quos Leo X. in collegium redegit.

Vnde natum, cur sacerdotū ordo in uarios abiuerit munerum gradus, & de antiquo iuradi modo, interdiciendiq; contumacibus sacris. Cap. XII.



Am inde ab initio, cum ubique ferè gentium flamines sacerdotes præessent, & illis alij qui archiflamines, id est, primarij sacerdotes nuncupati sunt, ad quos sacrorum omnium ratio referebatur, placuit, autore apostolo Petro, sicut diuus Clemens in suo christianæ religionis compendiolo perhibet, ut similiter in singulis gentium quæ religionem in posterum cōplecterentur, ciuitas

ciuitatibus, in locū flaminum episcopi substituerentur,
 & in qualibet prouincia, archiflaminis uice, unus ar-
 chiepiscopus constitueretur, cui reliqui illius regionis
 episcopi subessent, id quod nos in historia nostra An-
 glica ostendimus in Britannia, quæ nunc Anglia est, au-
 tore diuo Gregorio, esse factum. Innocentius quoque,
 ut in decretis canonicis est, hinc nostrorum sacerdotū
 & episcoporum distantiam introductā affirmat. Ii ar-
 chiepiscopi modo primates, modo graua uoce patriar-
 chæ, hoc est, patrū principes dicti, quatuor principio
 fuere, Romanus, Antiochenus, Alexandrinus, Hiero-
 solymitanus: postea translata Byzātium imperij sede,
 additus est & Constantinopolitanus. Verum postmo-
 dum ambitione paulatim mansuetudinem è pectoribus
 hominum detrudente, plures creati sunt, usūq; uenit ut
 huiusmodi appellationi plus aliquid dignitatis ac maie-
 statis accesserit. Et quoniam hisce pontificibus sedes in
 ijs præsertim ciuitatibus quæ insigniores essent, datæ
 sunt, idcirco & metropolitanos uocamus, quod unus-
 quisque hodie in ea præsit urbe, quæ eiusdem prouin-
 ciæ metropolis, id est, mater ac caput ciuitatum est. Pri-
 mates tamen ac patriarchæ antecellunt autoritate ar-
 chiepiscopis metropolitanis, sicut patet ex decreto A-
 niceti, qui statuit, ne episcopus crimen metropolitani
 sui ad alium quàm ad primatem, aut ad sedem aposto-
 licam deferret. Eiusdem etiam decretum fuit, ne archi-
 episcopi nisi ex singulari titulo, primates nominaren-
 tur.

tur. Ii autē meritò patriarchæ uocantur, cæteri archi-
 episcopi nominantur, uel ut quidam uolunt, metropoli-
 tani. Hos Clemēs primus pallio ornauit, uoluitq; ut eis
 crux præferretur, quibus nūc potissimū insignibus, ab
 reliquis episcopis distinguuntur. Marcus tamē pontifex
 instituit, ut episcopus Ostiensis, quod ab eo Romanus
 cōsecraretur, pallio quoque uteretur. Huius sanè insi-
 gnis rationē diuus Gregorius ad Maximum episcopū
 Salonitanum scribēs sciēter reddit, qui docet illud hu-
 manitatē & iustitiā significare, ut ij qui illo utuntur,
 foris summissē se gerāt, id est, mites sint, & intus animū
 æquum habeāt, hoc est, iustitiā colant. Ex eodem quo-
 que fonte manauit, inter reliquos initiatorum ordines,
 diuisio officiorum, ut archidiaconi diaconis, archipre-
 sbyteri presbyteris, & ijs omnibus præpositi uel deca-
 ni quos uocāt, præessent, quibus par quoque creuit ho-
 nor. Hinc etiā instituta sunt collegia sacerdotum, qui in
 templis præsertim cathedralibus, omni tempore sacris
 operam darent. Hos græce canonicos, hoc est, regula-
 res uocamus, ut qui ritē instituti cæteris uiuendi normā
 præberent. Istorum autem collegiarum abhinc CCC
 & eo amplius annis, apud nostros Anglos, tempore re-
 gis Ioannis, cum humana pariter ac diuina permista fo-
 rent, diuortium factum est, sed autor sectæ non tradi-
 tur, quod sciam, si non fuit discordia, quæ fortē uolue-
 rit aliquot ex collegio pecuniosos sacerdotes precio se-
 iunctos alijs dominari. Iam tum enim factū est, ut non-
 nulli

nulli canonici curã rerum omnium collegij susceperint, reliquis collegis forsitan suæ causæ indormiētibus, soliq; emolumenta capere cœperint, quæ patres olim cunctis iuxta collegis canonicis cōstituerint, qui suo tēpore sacris operã nauassent. Ita republica collegarũ in paucorũ potestatē deducta, aut id tēporis, aut statim post, ij noui principes canonici nullos ex canonicis ab episcopo factis, in suam societate admittebãt, nisi precio, quod partim sibi, partim tēpli ministris partiebantur: & ut ea emptio non uideretur fieri contra, ac liceret, à Romano pontifice impetrarunt, ut à ueniētibus in suũ nouum collegium sine criminis nota pecuniam acciperent. Hodie qui in collegijs sacerdotũ ita dominantur, uulgò residentiarij uocitantur, quod ad templa soli manent: nam licet alij canonici dies noctesq; in templis, ad res sacras, laborem, curam & operam impenderēt, nihil tamẽ lucri acciperēt. Durat institutũ uarijs legibus ab ipsis residentibus corroboratũ, sed una quidem lex illa primaria est, ut domos maxime hospitales habeant, & præsertim diuitibus, qui ad eos pro suo iure continenter confluunt, id quod inuidiam illis reprimat, cum ita mēsis seruire cogãtur. Atque ex eo instituto secutũ est, ut bona pars canonicorũ ex suis collegijs expulsa sit, quãdo multi illorũ seu religionis, siue paupertatis causa, nolunt, neque possunt precium dare, qui nõ prohibiti dubio procul, in obeundis sacris tam libentissime quàm diligentissime suum officium præstarent.

Quapropter haud fortasse ab re esset, si patres præ-
 scriptū canonicis quondam à collegiorum fundatori-
 bus datum, tandem aliquando seruandū curarent, pro-
 ut alibi ubiq; gentiū, illud ipsum inuiolatū esse constat.
 Item ut homo homini facile semper præstat, ita expe-
 dit, ut maiora munia præsertim sacra illis demandetur
 obeunda, qui doctrina & uitæ sanctimonia alijs ante-
 cellunt, id quod Christus admonuit, cum dixit: Homo
 quidam peregre proficiscens uocauit seruos suos, &
 tradidit illis bona sua, & huic quidem dedit quinque ta-
 lenta, alij autem duo, alij uero unum, unicuique secun-
 dum propriam uirtutem. Quapropter Antherus pon-
 tifex censuit episcopum omisso primo episcopatu, ad
 alterum necessitatis causa, & utilitatis, non sui ipsius,
 sed creditarum ouium, posse transferri, quod antea per
 decretum Nicenæ synodi, fieri minime licebat. Et An-
 therū illud mouisse crediderim, quod Petrus ea de cau-
 sa, relicta episcopali sede Antiochena, se Romam con-
 tulerit, ibiq; aliquot annos episcopatum obiuerit. Cæte-
 rum hodie à plerisque cōtrā fit, ad utilitatem propriā,
 non ad susceptū munus respicientibus, ut habeāt unde
 se mollius curent, quibus haud dubie dominus tempore
 suo dicet, Serui mali: tollite itaque seruos inutiles, &
 eijcite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor
 dentium. Cum per hunc modum episcopi, & archiepi-
 scopi dati essent, qui in ea incumberent, quæ in suorum
 sacerdotum rem esse ducerent, iusq; dicendo, reddendū
 dō ue,

dó ue, illos regerent, Caius primus statuit, ut sacerdos ne coram iudice prophano cōueniri posset, quo sic cunctos deterreret, ne Christos domini tãgeret. At ne quisquam fraude doló ue circūueniretur, Eutychianus sanxit, ut accusatio coram iudice scripto constaret, sicut cornelianum decretum est, ne quis à sacerdote nisi religionis causa, exigeret iusiurandum, quod incredulis & suspicacibus faciendæ fidei causa, institutum constat, cuius apud ueteres talis fuit forma. Cicero ad Appium Pulchrum: De me tibi sic cōtestans omnes deos, promitto. Et Aeneas ad Didonem, apud Vergilium:

Funeris heu tibi causa fui, per sydera iuro,
Per superos. Aut per rem charã, mos fuit iurare.

Ouidius ad amicam, quæ peierauerat:

Perq; suos illam nuper iurasse recordor,
Perq; meos oculos, & doluere mei.

Item, teste Festo, lapidem silicem tenebant iuraturi per Iouem, hæc uerba dicentes: Si sciens fallo, tum me Diespiter salua urbe, arceq; bonis eijciat, ut ego hunc lapidẽ. Præterea nulli, quẽadmodum testatur Liuius, licebat magistratum plus quinque dies, nisi qui iurasset in leges, gerere. Hunc penè morem pontifices nostri, reges, sacerdotes, prætores ac cæteri omnes præfecti seruant, qui ita iurãt antè, quàm ad ea munera obeunda admittãtur. Sed illud maximum iusiurandum erat, quod quisque nomine fidei dabat, ita ut teste Dionysio, magistratus plurimas litium disceptationes ex fide di-

iudicarent. Quapropter Numã Fidei de æ tẽplum po-
 fuisse, sacraq; fieri instituisse idẽ tradit. Apud Hebræos
 talis fuit usus. Hieremias: Et iurabis, Viuit dominus, in
 ueritate, & iudicio, & iustitia. Hos enim, ut ait Hiero-
 nymus, iusiurãdum habet comites, quibus si caruerit,
 periuriũ erit. Et Abigail uxor Nabal ad Dauid: Nunc
 ergo domine mi uiuit dominus, & uiuit anima tua. Hi-
 storia est in primo regnorũ libro. Apud nos ita iurat a-
 postolus: Testis est mihi deus. Sed longe usitatissimus iu-
 rãdi modus est, per euangeliũ, quẽ Iustinianus Impera-
 tor, uti in eo libro est quẽ Autẽticum appellauit, titulo
 de sanctissimis episcopis, instituit. Postea ita usu uenit,
 ut hodie, qui iurat, coram magistratibus, plurimũ euã-
 geliorum librũ aut dextra manu tãgat, aut osculetur di-
 cens: Ita me deus, & hæc sancta euãgelia iuuẽt: quod
 quẽadmodum euãgelium nostræ religionis fundamen-
 tum nulla de causa uiolari debet, ita iusiurandũ nullo
 pacto frãgendum sit. Quod autẽ nostri põtifices solẽt,
 cõtumaces aut delictũ aliquod delinquentes excõmuni-
 care, ut uulgò dicũt, illisq; simul interdicare sacris, hoc
 ex Iudæis sumptũ est, quorum moris fuit, eos ignomi-
 niæ causa, extra synagogam, id est, cõgregationẽ eij-
 cere, qui dicto minus audientes cõtra legem, uel põtifi-
 cum seu populi mandatũ aliquid fecissent, quod perin-
 de erat atque apud nos interdicare sacris: illudq; uerũ
 esse euãgelista Ioannes affirmat, scribẽs: Iam enim cõ-
 spirauerãt Iudæi, ut si quis eũ cõfiteretur esse Christũ,
 extra

extra synagogā fieret. Hos religionis hostes diuus Cyprianus eleganti uocabulo abstentos passim appellat. Reperio hunc puniēdi morē à Druidibus Gallorū sapientibus quondam usurpatū: illi enim, uti Cæsar in suis commentarijs refert, si quis aut priuatus aut publicus eorum decreto non stetisset, sacrificijs interdicebant. Et hæc poena apud eos grauissima, quoniā quibus ita erat interdictū, ij numero impiorū ac sceleratorum habebantur, ab ijs omnes deeedebant, aduū sermonemq; defugiebant, ne quid ex contagione incōmodi acciperent, neque ijs petentibus ius reddebatur, neque honos ullus cōmunicabatur. Hæc omnia ita cū nostra religione cōsentiūt, ut nō temere quis crederet, nos huiusmodi deuouēdi execrādīq; modū potius ab ipsis Druidibus, quā à Iudeis esse mutuatos. Atq; hoc unicū telū, terificumq; fulmē est, quo pōtiffices nostri solo nutu, mortaliū animas etiam ultra tartara mittūt, propter quod minus alioqui est in quenq; præcipitanter torquendū.

Qui primitèr insituerint, ut uirgines consecrarentur, & unde fluxerit mos uelādi caput, illudq; aperiēdi uiris principibus, atque osculādi pontificū pedes & manus, item osculo salutādi, ac ipsos pedes mutuo lauādi.

Cap. XIII.



Vod uirgines sacrātur, id est, uota castitatis facientes religioni addicuntur, Pij primi præscriptum esse uidetur, quod in decretis canonicis refertur: Virgines

non uelentur ante XXV annos, nisi forte necessitate periclitantis pudicitiae uirginalis. Et non sunt consecrandæ, nisi in epiphania, & in sabbato paschæ, & in apostolorum natalitijs, nisi mortis causa urgente, & reliqua. Porrò eam prærogatiuam apostolorum festis diebus datam aiunt, quod illi ante omnes, uirginitatis assertores fuissent. Id initium fuisse monacharū, ac incrementum inde suum sensisse, declarat decretum Soteri, qui secundo loco successit Pio. Is instituit, ne monacha ulla pallam, quam uocant, atiretaret, né ue thus in acerram poneret dum sacrificia fierent. Fuit ille annus salutis circiter CLXXV. Vnde uidetur monacharum institutum iam tum apud Romanos non fuisse ignotum. Quare miror quosdam esse, qui tradāt Marscellam, quæ cum Hieronymo familiaritatem habuit, primam fœminarum ausam esse illud Romæ profiteri. Verum ab ipsis apostolis ortum uidetur, ut mulierū sacrarum congregatio in christiana religione esse cœperit: cum enim Paulus priore epistola ad Timotheum scribat: Viduas honora, quæ ueræ uiduæ sunt. Porrò quæ uera uidua est ac desolata, sperat in deo. Et subiiciat: Vidua eligatur non minor annis sexaginta, quæ fuerit unius uiri uxor, in operibus bonis hominum testimonio comprobata, si filios educauit, si fuit hospitallis, si sanctorum pedes lauit, si afflictis subministrauit, si in omni opere bono fiat assidua. Item pergat: Quod si quis fidelis, aut si qua fidelis habet uiduas, suppeditet illis,

illis, & non oneretur ecclesia, &c. Apparet uiduas ueras & desolatas, hoc est, ut Chrysostomus sentit, rerū omnium humanarum curas negligentes, spesq; suas in domino ponentes iam tum electas, ac ecclesie, id est, communitatis sumptibus nutritas, & deniq; tales prope modū fuisse, quales nos hodie habemus monachas, excepto, quod nostrae non modò secundum apostolicū præscriptum, sexaginta annis, sed plurimū uiginti minores eliguntur, quæ cum aliquando carnis titillatione impulsæ continentie legibus aberrent, profectò religio non mediocre inde dannum sui honoris facit. Quippe ideo apostolus, teste Ambrosio, in libro de uiduis, iuniores uiduas minus recipiendas in numerum ecclesie uiduarum decreuit, quod illæ haud facile possent præstare officia, quæ ad ueras uiduas pertinerēt. Hinc perspicue intelligere licet, iam tum cœpisse fœminas per hunc modum deo dedicari, & apostolos primum, ac deinde nostros pontifices exemplo uestalium uirginū, introduxisse fœminarum religionem, ut uterque sexus domino in castitate famularetur. Sicuti uelare caput, secundum apostoli sententiam est, qui ad Corinthios ait: Omnis uero mulier orans aut prophetans, non uelato capite, dehonestat caput suum. Vnde Linus ex mandato Petri constituit, ne qua mulier nisi uelato capite, templum ingrederetur: quod uidetur ab Hebræis accepisse, quorum pōtifici non licebat caput aperire, dicente Mose: Pontifex caput suum non discooperiet.

Vel à Latinis sacerdotibus mutuatus, ut per hoc quoque sic eorū ritus ad honestiores uerteret usus. In sacrificijs enim, quē admodum ait Plutar. in problemat. Itali, auctore Aenea, uelabāt caput, quod is cum rem diuinā faceret, prætereūte Diomede, qui, teste Seruio, Palladiū quod ex oraculo iussus erat reddere Troianis, tūc referebat, ne cognitus interrūperet sacrificiū, caput uelauit, atque ita cōspectum hostis euitauit. Commemoratur rem hanc Maronianus Helenus in 3. Aeneidos inquit:

Et positis aris, iam uota in littore solues,
 Purpureo uelare comas adopertus amictu,
 Ne qua inter sanctos ignes, in honore deorum
 Hostilis facies occurrat, & omnia turbet.
 Hunc socij morem sacrorum, hunc ipse teneto,
 Hac casti maneant in religione nepotes.

Cæterum apud Arabes, & Carthaginenses, sceminæ non modò religionis sed honestatis causa, caput & faciem uelabant, quod uelamen pro galea illis esset. autor Tertullianus, qui de ea re librū scripsit. Magistratibus uero & alijs potētioribus caput aperimus, tanquā omnia nostra illis patēre debeant. idem Plutar. autor. Hinc haud dubie nobis mos est, & orare aperto capite, & superiores reuereri, id quod apostolus uoluit dicēs: Omnis uir orās, aut prophetās uelato capite, probro afficit caput suū. Hæc ille. Sed ad rem redeamus. Est igitur sacrandarū monacharū institutū multo uetustius, quàm quæuis alia monachorū religio: est item
 excel=

excellentius, quippe nulla, ut ait Augustinus, de bono
 uirginali, uirgo sacra nascitur, nec est hæc proles car-
 nis & sanguinis. Si harū queritur mater, religio est:
 non parit uirgines sacras, nisi uirgo sacra, uirgo illa,
 quæ desponsata est uni uiro, id est, Christo. Talis uirgo
 sacra fuit Petronilla, talis Cæcilia, talis Agnes. Postea
 in collegia coiuere, ac sanctissimis uiuēdi legibus à pa-
 tribus acceptis, uitā uirginitate dignā agere cœperūt.
 Mos deosculādi pedes pontificū, ne longe exēpla petā-
 mus, à Christo præceptore nostro cœpit. Is summus sa-
 cerdos & pōtifex maximus tulit, ut mulier quæ erat in
 ciuitate peccatrix, sicut refert Lucas, sibi pedes primū
 flēs lachrymi rigaret, capillisq; tergeret, ac deinde de-
 oscularetur, ueluti apud Hebræos mos fuerat christos
 domini uenerari. Voluit item procul dubio Cornelius
 Cēturio pedes apostoli Petri osculari, sed pater mā sue-
 tudinis plenus id fieri nō est passus, qui eleuās eū sibi ad
 pedes iacentē, dixit: Surge, & ego ipse homo sum. O
 uocē memorabilē, atq; salutarē, si bene multi hodie sese
 quoq; homines tantū esse perpenderēt, qui propterea
 quod sacerdotio præditi sunt, planè reliquorū mortaliū
 lōge post hominū memoriā imperiosissimos dominos
 agūt, non cōmunes patres, uti fieri deberet. Ita usu ue-
 nit, ut nos pōtificum nostrorū pedes exosculemur: il-
 ludq; institutum à Romanis pontificibus dixerim, quo
 mos ille osculādi antiquitus à deorū etiā cultoribus ser-
 uatus ad uerā pietatē usurparetur. Perinde quandoq;

expedit, ad alliciēdos hominū animos ad uerā religi-
onē, ut quod apud illos honori antea fuerat, nō tollatur
penitus, sed sanctiore instituto ad consimilem adhibe-
atur cultū. Nam, ut Plutarchus testatur, sacerdotibus
Romanis nec habere, nec petere magistratū permitte-
batur, lictore tamē & sella curuli utebātur, ut ijs deli-
niti ultra non quærent: in templis prope ianuam le-
tīcam habebant, tanquam custodes & refugium: pe-
des ijs reliqui osculabantur. Quin & alij summis ui-
ris id genus honoris habebatur, cuius rei testis est Sene-
ca, scribens Caium Cæsare porrexisse ad osculandum
sinistrum pedem Pompeio Pœno, ut ita ostenderet soc-
culum auratum, margaritisq; distinctum. Idem Pom-
ponius Lætus affirmat, ita referens: Imperatores antea
manus exosculandas nobilibus præbebāt, post suis ma-
nibus subleuabant ad oris osculum uulgius genua exo-
sculabatur. Diocletianus edicto sanxit, uti omnes sine
generis discrimine, prostrati pedes sibi exoscularētur,
quibus etiam uenerationem quandam adhibuit, exor-
nans calceamenta auro, gemmis, & margaritis, quod
fecisse antea Caium Caligulam memorāt. Is honos ho-
die Romano pontifici fit, qui adeuntes se ad sacra pe-
dum oscula admittit: cæteri uero antistites dexteram
manum auersam adeuntibus religiose osculandam por-
rigūt. Quod uel ab ethnicis sumptum constat. Plinius
enim libro undecimo refert, religionem aliquam esse in
dextera, quæ in fide porrigitur, quæ osculis auersa ap-
petit

petitur. Testatur idem Apuleius libro asini sui secūdo, ubi cum de propheta Aegyptio meminit, ait: Et cum dicto iuuenem quempiam linteis amiculis intectum, pedēq; palmeis baxeis indutum adusque deraſo capite producit in medium, huius diu manus deoſculatus, & cætera. At contrā faciebant Numidæ reges, qui teste Valerio Max. more gentis suæ, nulli mortaliū oſculum ferebant. Solemus insuper & oſculo ſalutare, id quod antiquum eſt, quando ſatis conſtat Hebræos ſic conſueuiſſe in oſculum excipere hoſpites, atque hoc pacto ſalutare adeuntes ſe. Ad hunc modum Iacob ut uidit puellam Rachel, ore eſt prius oſculatus, quàm illi indicaret ſe eius eſſe amitinum. Et Laban pater ipſius Rachel ut nouit Iacob filium Rebeckæ ſororis ſuæ, complexus eſt eum ruens in oſculum. Hinc ego dixerim apud Romanos inſtitutum fuiſſe, ut mulieres cognatos ore oſcularētur: cuius rei etſi Plutarchus in problemat. alias reſert cauſas, quod mulieribus Romanis uini uſus interdicitus eſſet, & idcirco ne bibentes laterēt, ſed domesticorum congreſſu redarguerentur, oſculandi conſuetudinem introductam. An quod mulieres Troianæ cum ad Italiæ littus appuliſſent, & uiri ad unū omnes in terram deſcendiſſent, naues incenderūt, quia ſe iam diuturni laboris pertæſas maris tæderet, quæ metu deinde uirorum pauidæ, oſculādo ac blande appellando mitigaffent eorum animos, ſibiq; reconciliaſſent. Hinc manſit poſtea cōſuetudo, ut hac inter ſe comitate ute-

rentur, fuitq; præcipuum cognationis signum, post cognatorum cōnubia, lege prohibita. Quod nunc ubiq; gentium seruetur, & præsertim apud Anglos, quorum mulieres, nō cognatos modò, sed quoscunq; generatim osculo tantum salutant, resalutantq;, & illud quidem prioribus, uti dicitur, labris, tam decētissime quàm honestissime faciunt. At quæ regio sunt sanguine editæ nō oscula inferioribus libant, sed manum auersam porrigunt, perinde ac uiri inter se salutationis causa, solent dextram iungere dextræ. Quod sacerdotes ante diem festū paschæ sibi inuicē, quodq; prophani qui superiores sunt, inferioribus pedes lauant, id fuit etiam Christi institutū, qui ut humilitatis documētum omnibus præberet, apostolis pedes eodē die lauit, quibus, prout Iohannes refert, & dixit: Vos uocatis me magister & domine, & bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego laui pedes uestros dominus & magister, & uos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi uobis, ut quemadmodū ego feci uobis, ita & uos faciatis. Quod institutū mansit postea cum osculandi ritu, & utrūque memorat Tertullianus libro ad uxorem altero.

Qui primitus apud Romanos instituerint sacerdotes flamines, uirgines uestales, pontificem maximū, falios, feciales, patrem patratum, regem sacrificulum, augures, epulones, sodales Titij, & aruales, ac singulorum officia, & quæ procurarent sacra, & de primo lectisternio, atque librorum Sibyllinorum origine.



Lamines, id est, sacerdotes Numa Pompilius secundus Romanorum rex instituit, is enim rex creatus nihil prius habuit, quàm præferocem populum ad pacis & iustitiæ cultum à rei bellicæ studijs auertere, sacrisq; obligare. Itaque primum constituit annum ad cursum lunæ, digestum in duodecim menses, uti alio est loco à nobis dictum: festosq; deinde dies, flaminē unum Ioui creauit, qui dialis est dictus, cum insigni ueste curuliq; sella ornauit. Is mortua uxore, ut refert Plutarchus in problem. sacerdotio se abdicabat, uelut alter censor defuncto collega, magistratu abibat. Non uehebatur equo, neque noctem unam extra urbem manebat, ut si longius profectus esset, ne sacra eius absentia negligerentur. Item iurare eidem minime licebat, eo quod tormenti quoddam genus sit homini libero iusurandum, præsertim sacerdoti, cui cum diuina credita sint, paruum habere fidem, absurdum censetur. Vtinam utrunque nostri attēderent episcopi in primis, qui ad suū munus fungendū haud semper præsto sunt, propter quod, res religionis meliore in casu minus sunt: & nostri magistratus, qui uolūt pro re etiam minima, sacerdotes iurando adigere, cum ijs in primis illud tantū fari liceat, Est, est, non, nō. Sed domū redeamus. Duos deinceps adiecit flamines, Marti unum, alterum Quirino. Plutarchus huius rei autorē facit Romulū, aitq; ab eo

flamines Ioui & Marti, non à Numa creatos, cui opinioni Liuius minime adstipulatur. Hos ab insigni quod capite gestabant, quasi filamines dictos existimãt quidam, alij à pileis quasi pilamines: sed insula quæ illorũ capitibus hærebat, quæ flamina, ut Dionysius scribit, est dicta, ijs uerius quàm uox alia nomen dedit. Item uirgines uestales Numa legit. Quæ sacra in Italiã per Aeneam adducta fuerunt. Vergilius:

Sic ait, & manibus uittas Vestamq; potentem,
Aeternumq; adytis effert penetralibus ignem.
Vestam matrem Saturni, & alteram ex Ope filiam
fabulantur: de hac uirgine Ouidius in fast.

Semine Saturni tertia Vesta fuit.

Et modo eam ignem ponit dicens:

Nec tu aliud Vestam quàm uiuã intellige flammã.

Modo terram:

Sic incesta perit, quia quam uiolauit, in illa

Conditur, & Tellus Vestaq; numen idem est.
Bene competit, ut Vesta terra sit, & ignis, quia terræ inclusus est ignis, id est, naturalis calor, quibus cuncta producuntur. Posuit illi templum Albæ Ascanius. Fuit & Romæ ædes inter Palatium & Capitolium, forma penè spherica, qua terra pingitur, constituta. Refert Aulus Gellius, primæ quæ huiusmodi sit adhibita ministerio, Amatæ nomen fuisse, ac propterea reliquas deinceps omnes Amatas appellatas: diciq; non electas, neque creatas uestales, sed captas, eo quod capiebatur
à pon

à pōitifice de manu patris uestalis uirgo: neque capi poterat minor annis sex, neque maior decem, & quæ ex seruis nata, aut corpore manco, sensu uel diminuto foret. Romæ primo Gigania & Berenia captæ, mox totidem additæ, Camilia & Tarpea. Huic numero Seruius Tull. duas nouissime adiecit. Hæ decem primos annos sacrorum ritum perdiscebant, totidem deinde operam dabant sacris, tertio decennio rudes & nuper captas instruebant, postea uero si quid ætatis nubere uoluisset, fas erat, alterum mallet sequi. Cæterum quando illis quæ connubium secutæ fuerat, male uertit, plures ad mortem usque in religione perseuerabant. Stipendium ijs Numa de publico statuit, & eas denique perpetua uirginitate alijsq; cærimonijs uenerabiles fecit: carpento uehebatur, magistratusq; illis assurgebant, ac fortuito occursu, fontem supplicio eximebant: ignem perpetuum seruabant, qui si per incuriam extinctus esset, custos flagro à pontifice maximo cui suberant, cedebatur. Si qua incesti conuicta esset, ante ora ciuium, mœsto silentio efferebatur, uiuaq; circa Collinam portam, in subterraneum specum dimissa, terraq; statim superiniecta necabatur. Atque hoc sacerdotium Alba oriundum per hunc modum fuit Romæ instauratum. Pontificem præterea maximum Numa Martium Marci filium ex patribus creauit, cuius potestati omnia sacrorum iura subiecit, ac quibus hostijs, quibus diebus, ad quæ tēpla, sacra fieri oporteret, formulam docuit,

constituitq; cum, teste Festo, iudicem ac arbitrum rerū
 æque diuinarum ut humanarum. Fuit id, credo, certū
 portentum, quo est significatum, urbem Romam po-
 stremo perinde pontificia maiestate, qua nunc late pa-
 tet, gentibus moderaturam, atque olim potentia impe-
 rasset. Idem Gradiuo Marti duodecim sacrauit salios,
 tunicæq; pictæ insigne dedit, & super tunicam, æneū
 pectori tegumen, cœlestiaq; arma quæ ancilia appel-
 lantur, ferre, ac per urbem ire canentes carmina, cum
 tripudijs solenni; saltu, unde nomen traxerunt, iussit.
 Videtur Numa in hoc, uelut in plerisque alijs, Hebræ-
 os æmulatus. Legimus enim David ante arcam fœde-
 ris, saltado processisse. Ancile scutum breue ac rotun-
 dum regnante ipso Numa, è cœlo lapsum in seuiantis
 pefus remedium, uulgò crediderunt. Ouidius in Fastis:

Ecce leui scutum uersatum leuiter aura

Decidit, à populo clamor ad astra uenit. Et infert:

Atq; ancile uocāt, quod ab omni parte recisum est,

Quaq; oculis spectes, angulus omnis abest.

Et cum aruspices respondissent, illic fore orbis impe-
 rium, ubi ancile illud consisteret, diligentia Numæ ne
 ab hominibus unquam auferri posset, à Mamurio fa-
 bro multa similia facta sunt, & in templo Martis posita.
 Inter tot sacros ordines, posuit & feciales sacerdo-
 tes, quibus id dedit negocium, ut Romani nullum iniu-
 ste bellum inferrent cuiquam. Cneus Gellius annalium
 scriptor id ab Ardeatibus prodidit acceptum, alij ab

Equi-

Equiculorum gente. Satis constat Numam bellum Fidenatibus indicturum ob excursions in romanum agrum factas, ne non omnia rite fierent, feciale ius, & collegium postremo constituisse. Si si qua per iniurias Romanis adempta essent, repetebant ab hoste, quæ si minus reddita essent, bellum composito ad id carmine, indicebant: pari potestate petentibus iuste res, dabant fontes ad supplicium, legatorum iniurias uindicabant. Ad hos item pertinebat, foedera iure percussa tueri, pacem sancire, eandem si minus legitime pacta esset, irritam facere, & si quid imperator uel exercitus deliquisset, scelus expiare. Feciales autem à fero siue à facio dicti, quod apud eos belli pacisq; ferendæ seu faciendæ ius esset. Fuit & sacerdotium patris patrati, qui Romæ ad iusurandum patrandum, hoc est, ad foedus sanciedum eligebatur: Fecialis eum faciebat, uerbena caput capillosq; tangens. Primus Romæ fecialis Marcus Valerius patrem patratum Spurium Fusum fecit. Post exactos reges, coepit rex sacrificulus creari, is primus fuit Manius Papyrius, qui ne in re ulla regis presentia desideraretur, ea sacra obibat, quæ reges facere consueverant. Et id sacerdotium pontifici maximo subicere, ne quid regium nomen recenti libertati officeret. Erant præterea augures, de quorum origine alibi diximus. Epulones qui indicendi Ioui cæterisq; dijs epulas potestatem habebant, ueteres pontifices instituerunt: nam, ut refert Cicero, pontifices propter

multitudinem sacrificiorum, tris uiros epulones esse uo-
 luerūt, qui triūuiri epulones appellabantur. Iis postea
 præpositus est rex sacrorum, id est, sacrificulus. Additi
 deinde fuerunt alij tres uiri, qui sacris libris legendis,
 carminibusq; Sibyllæ præessent. Isti quoties prodigia
 magnos aliquos rerum euētus auspicantia emergerēt,
 lectisternijs ad puluinaria deorum factis, sacris suppli-
 cijsq; placabant, qui & sodales Titij uocabantur, sic
 septem uiri epulones dicti sunt. Hos Titij sodales auto-
 re Cornelio Tacito, Romulus inita cum Tito Tatio so-
 cietate, primitus creauit. Idem primus, uti Plin. perhi-
 bet, aruales sodales instituit, seq; inter alios, duodecimū
 fratrem appellauit, ut arua fruges ferrent. Et propte-
 rea eius sacerdotij insigne fuit spicea corona. autor Gel-
 lius. Sacrorum celebritates quæ istiusmodi sacerdoti-
 bus in primis curæ essent, has fuisse reperio, lupercalia,
 saturnalia, de quibus alibi meminimus. Bonæ deæ, quā
 alij aliam fuisse dicunt, sacra in Auentino in eius tem-
 plo fiebant, ad quæ uiri non ingrediebantur. Floralia
 deæ Floræ pridie calēdas Maij dicata. Hanc Liuius &
 Dionysius meretricem fuisse tradunt, cui ut deæ ob id
 magnus est habitus honos, quod populum Romanum
 fecisset hæredem, quæ & fructibus cunctis præesse cre-
 debatur: colebatur autem à meretricibus cum coronis
 & uestium uarietate, temporis lætitiā florumq; diuer-
 sitatem significantibus. Terminalia, quod Numa rex
 Ioui Terminali lapides sacrasset, terminosq; posuisset
 in agris

in agris, quo unusquisque suis finibus contentus esset. Romani postea eius pietatis monumenta diu seruarunt, terminos ipsos deos uocantes ut fidos agrorum finium custodes: quibus sacrificabant non animal ullum immolantes, nam impium dicebant sacros cruere lapides, sed liba fructuumque primitias offerentes. Vinalia, quæ causa uini, sicut robigalia cunctorum, circiter VII. calendas Maij celebrabantur, quia tunc robigo segetes soleat occupare. Bacchanalia, quæ Liuius dicit ex senatusconsulto, ut bonis moribus pestifera, Roma expulsa fuisse, noctu enim fiebant, ubi nudus uterque sexus impurissime commiscebatur. Cerealia Cereris deæ sacra, quæ Triptolemus primus instituit. Sacerdotes uestibus utebantur albis, et noctu cum facibus currebant, uinum non bibebant. Insuper et ieiunium institutum quinto quoque anno, prodigiorum causa. Ouidius etiã à Venere abstineri dicit, quod castitati præsit. Solitaurilia, quum tribus hostijs diuersi generis, tauro, ariete, et uerre, immolabatur. Festum diæ septimontium Plutarchus in problematibus ponit, cum septimus mons est urbi quasi tum demum finitæ additus. Quinquatria, quæ Mineruæ calendis Martij quinq; dies fiebant, quo tempore, ut testatur Hieronymus, munus minerual appellatum pueri quando uocabant, magistro offerebant. Item quinquatres minores eidem Mineruæ sacri idibus Iunijs, quando tibicines personati per urbem incedebant, ut illi qui aliàs ebrij Tybure Romã reducti fuisset;

indicarētur personati esse inter alios ignotos. Ovidius:

Cur uagus incedat tota tibicen in urbe,

Quid sibi personæ, quid toga longa uelint?

Callidus ut possit specie numeroq; senatus

Fallere, personis imperat ore tegi.

Admiscetq; alios, ut & hunc tibicina turba

Augeat, in longis uestibus ire iubet.

Ac plura alia festorū dierū genera uana superstitione obseruabantur, quæ referre nimis omnino ociosum foret. Erant & ludorum uaria genera, ut circenses, gladiatorij, megalenses, ita dicti, quod in honorē Magnæ Matris deorū fiebant, Græci enim μέγα magnum dicunt. De ijs Herodianus in Commodo ita scribit: Veris initio stato solenniq; die, pompam Matri deūm Romani celebrabāt, in ea quæ apud quosq; sunt diuitiarū præcipua, suppellexq; pleraque imperatoria materiæ aut artis spectandæ præferri ante deam solent, passimq; omnibus ludendi licentia permissa, sic, ut personas induant, quas cuiq; libitum, nullamq; non magistratuum quoque imaginē, prout cuiusq; studium representent, ita ut non temere à falsis ueros dignoscas, &c. Sed pro hominum salute, ludi in primis seculares celebrabātur, cum lectisternijs, quorum initium dæmonum operatione factum constat. Siquidem Valesius quidam uir locuples, tribus quos habebat filijs pestilentia laborantibus, dum ante focum suos penates orat, ut saluis pueris in suum caput id mali uertatur, ecce tibi, uox repente

audita

audita, filios saluos fore, si Terentum duxerit, ibiq; ex
 Ditis patris & Proserpinæ ara petita aqua recrearit.
 Pater quamuis anxius, quod longius sibi eū dum esset,
 tamen ex sua uilla ire pergit, alteraq; nocte ad campū
 Martium per Tybrim delatus, cum in nauī non esset
 ignis, iubetur à gubernatore ire Terentū ad locū pro=
 ximū, qui audito Terenti nomine, iam certò sciens eò
 se peruenisse, quò deorum uocaret oraculū, aquam ca=
 lefacit, datq; bibendam pueris. Illi epota aqua, saluari
 quiete sopiti continuo omni morbo liberantur, uoca=
 toq; parenti narrant se à dijs adiutos, admonitosq; ut
 eo loci mactatis furuis, id est, nigris hostijs, lectisternia
 ac ludi nocturni ad aram Ditis & Proserpinæ fierent.
 Valeſius maiorē in modum gauisus incipit primo quo=
 que die terram fodere aræ erigendæ causa, sed ibidem
 reperta sub terra, ara Diti patri & Proserpinæ inscri=
 pta, hostias mox immolat, tribusq; continuis noctibus,
 quia totidem filij morbo leuati fuerant, lectisternia at=
 que ludos facit, aramq; terra obruit, prout ante fuerat.
 Post hæc Valerius Publicola, qui primus fuit Romæ
 consul, idem sacrum ægrotantibus succurrendi gratia,
 celebrasse dicitur, sed non solenni pompa. Ex quo Li=
 uius libro quinto de ijs ludis ita scribit: Tristem hyemē
 grauis & pestilens omnibus animalibus æstas excepit,
 cuius insanabili pernicie quando nec causa nec finis in=
 ueniebatur, libri sibyllini ex senatuscōsulto aditi sunt,
 diuini sacris faciundis lectisternio tunc primū fa=
 c

cto, per dies octo, Apollinem, Latonamq; & Dianã, Herculem, Mercurium, atque Neptunũ, tribus quã amplissime tum apparari poterat, stratis lectis, placas uere. Priuatim quoq; id sacrum celebratũ. Lectis enim antiqui cubantes epulabantur, aut deorum iræ placandæ causa, in templis conuiuia exhibebãtur tribus dijs, Ioui, Iunoni & Mineruæ, & simulacrum Iouis in lectulo ponebatur, Iuno uero & Minerua in sellis considebant, siquidem foeminae cum uiris cubantibus, autore Valerio, sedentes cœnitabant. Ita septem epulones conuiuia celebrabant, ad deorum puluinaria, quæ lectisternia appellata sunt. Et hæc origo lectisterniorũ, atque ludorum seculariũ, qui ita uocati sunt, quod semel in uno seculo fierent, tametsi mos non semper seruatus est. Iam oportet demonstrare, & unde illi libri sibyllini de quibus supra facta est mētio, ad Romanos allati fuerint, quos summa religione iuxta ac obseruantia custodiebant, & cum dij publicè consulendi essent, ad eos libros tanquam ad oraculum quindecimuri adire solebant. Itaque Dionysius libro quarto scribit antiã quandam incognitam tulisse libros nouem ad Tarquinium Superbum, affirmantẽ esse eos deorum oraculis plenos, dixisseq; uelle se uendere, non minus trecentis Philippeis aureis, & rege rem ludibrio habente, illam tres corã combussisse, ac rursus pro reliquis idem precium postulantem, rege tum magis anus insaniam deridente, tres alios exussisse, atque iterum rogasse, ut precium

precium daret, tum regem miratum constantiam mulieris emisse libros tres: & quia anus accepto precio, nusquam postea uisa est, iam tum creditum, eam Sibyllam fuisse, cui, quemadmodum poëta ait, magnam mentem animumq; Delius inspirasset uates: nam Sibylla dicta est quod dei nosset consilium, οἶος enim lingua æolica deus uocatur, Βελληῆς autem consilium. Curabāt & Apollinares ludos, qui teste Lulio, libro decadis tertie quinto, primum instituti sunt bello punico secundo, uoti Apollini, ob uictoriam adipiscendam, hoc est, ad expellendum Annibalem ex Italia. Data sunt pretori duodecim millia æris, ad rem diuinam, & due hostiæ maiores, ac iussum, ut græco ritu sacrum facerent Apollini, boue aurato, & capris duabus albis auratis, Latonæ boue foemina aurata, & in circo maximo populus coronatus ludos spectaret, atque matronæ supplicarent, uulgoq; apertis ianuis, in propatulo epularentur, quo dies celebrer omni cærimoniarum genere fieret. Plebei constituti, post exactos reges, pro plebis libertate, seu pro reconciliatione, post secessum ab ea factum in Auentinū montem. Et demum id genus permulti fuere, qui penitus obsoleuerunt. Tantum ex omnibus, usque ad hunc diem, durāt tauri ludi apud portam Tergeminam quotannis celebrati, qui prius, sicut tradit Varro, in circo flaminio adebantur, & autore Festo, instituti dicuntur, quod regnante Tarquinio Superbo, magna incidisset pestilentia in mulieres graui-

das, quæ contracta fuerat ex carne taurorum diu uen-
 dita populo: ob hoc ludi taurij dicti, & dijs inferis di-
 cati sunt. Habebant insuper & conuiuiorum celebra-
 tates, quæ aut erant conuiuia pontificalia, quæ in sa-
 crificijs à sacerdotibus parabantur: aut triumphalia,
 quæ post uictoriam imperator uel dux populo dabat:
 aut funebria, ut ita honor haberetur defuncto. Daban-
 tur item uiscerationes, id est, caro cruda, congiaria &
 missilia, quæ spargebantur, ut puta uelaria, lineæ, odo-
 res, unguenta, cum alijs temporibus, tum maxime sa-
 turnalibus in theatro, ut Suetonius in Caligula: Spars-

sit & missilia uariarum rerum. Atque tale

fuit apud Romanos, rerum sacra-

rum initium, quarum bo-

nam nos partem ac-

cepimus, uti ap-

posite per nos

explica-

tur.

LIBRI QVARTI
 FINIS.